

MORBOS CORPORIS MORBIS MENTIS NON CVRARI NEC CVRANDOS ESSE

PRAESIDE

CHRISTIANO GODOFR. STENTZELIO

ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTORE CHIRVRGIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO PATHOLOGIAE PROFESSORE SVBSTITVTO H. T. FACVLTATIS MEDICAE DECANO

DIE XXIIX. AVGVSTI A. CIↃ IↃ CC XXXVI

HORIS LOCOQVE CONSVETIS

PRO DOCTORIS GRADV

DISPVTANS

DEMONSTRAT

IOANNES GOTTHARDT SCHILLER

CROMMENDORFF-BREGA-SILESIVS



VITTEMBERGAE
EX OFFICINA EICHSFELDIANA

MORBOS CORPORIS MORBIS MENTIS NON CVRARI NEC CVRANDOS ESSE.

I

Seiungatur omnis, ab omni conſuetudine noſtra, uerborum factorumque obſcoenitas, foeditas, petulantia, libido, improbitas, peruerſitaſque, uitia, a moribus, qui Chriſtianam decent gentem, alieniſſima; nec putet quis, quaecunque etiam illius ſit conditio ac dignitas, rem ullam tanti inter terrena eſſe aeſtimandam, cuius amore deſiderioue, uel minimum, a pietate, ueritate, ac reliquarum exercitio uirtutum, deflectere liceat. Abhorrent haec, quae iamiam repudiauimus, a iuſtiſſimis ac ſalutaribus Saluatoris Noſtri legibus, qui pietatis, concordiae, manſuetudinis, patientiae, pudoris, modeſtiae, humanitatis, comitatis, affabilitatis, caſtitatis, temperantiae ſtudium commendans, omni ſua doctrina, uitaque, et innumeris oſtendit miraculis, ac certiſſimis argumentorum momentis euicit, nihil eſſe, cur quis uel ab externis ſibi quicquam arroget, tanquam proprium, uel conſtans, aut perpe-

tuum, cum omnia, quaecunque in hoc terrarum orbe inuenimus, ſi humanam excipias animam, ſint aduentitia, aliena, fragilia, caduca, incerta, perpetuis obnoxia mutationibus, quae, uti cito ac largiter conceſſa, ita repente denuo ac ſimul et ſemel auffe-runtur, ac maximos ſaepe, ſi illorum abuſu, mentis integritas ac tranquillitas ſit laeſa, dolores, perpetuoſque relinquunt cruciatus. Quid inter praeſentis, uti dicuntur, ſeculi bona, integra praeſtantius ualetudine? quid rationali homini uita charius? haec tamen minimis momentis et mutari, et omnino aufferri, tot aegrotantium, tot demortuorum, et quotidie morientium exempla teſtantur ac confirmant. Quid porro hominum dignitas, indigniſſimis haud raro collata? lapſus grauioris mox ſecuturi fundamentum. Quid diuitiae, ſi iiſdem in Dei honorem proximique utilitatem non utaris? idolorum ſeruitus. Quid nobilitas, niſi uirtutem habeat pediſſequam? naſcendi ſors atque opinio, a populi ſtultitia inducta. Quid uoluptas ac delectatio corporis? leuis, quae breui abit, titillatio, plura relinquens tormenta. Excluſo igitur, quod uulgus de bono maloque fouet, praeiudicio, non paupertatem, non ignobilitatem, aut ignominiam, aut corporis deformitatem, morbos, mortemque, aliaque plura eiuſdem generis, non tua culpa, ſed diuino tibi euenientia inſtituto, mala putato, ſed uitia mentis, quae nos a Deo, uita noſtra, abalienando, conſcientiae turbant quietem, ac maximas adducunt aerumnas. His ad amuſſim ponderatis, nihil tibi mundus ſiſtere poteſt, quod te a uirtutum cultura auocare debeat; non hoc abs te opes, non ullae neceſſitudines, non preces, non minae, non ſanitatis diſpendium, non mortis metus, certumque periculum, extorqueant. Leges ac praecepta, quae in ſacro annotata codice, huius uniuerſi conditor rectorque, ac deperditae naturae noſtrae inſtaurator, tibi obſeruanda ſeruandaque reliquit, ſint rationis tuae magiſter, ac norma, ad cuius praeſcriptionem, uitae tuae actiones ineas ac dirigas, reiectis, quae peruerſa huius mundi ſapientia ſuggerit, conſiliis; ſola quippe ſapientia, ex ſacro depromta codice, uera eſt ſapientia, omnis reliqua,

liqua, de qua inanes homines gloriantur, cum Chriſtianae fundamentis religionis collata, nulla eſt, coenum eſt, meraque, ſi ſacris repugnet literis, ſtultitia. Nam, quicquid graue, ſanctum, elegans, acutum, prudens, purum, caſtum, utile, honeſtum, quicquid cum admiratione, exclamatione, plauſu, apud Ciceronem, Senecam, alioſque gentiles ſapientes legitur, quicquid ex illis hauritur, notatur, diſcitur, commendatur, in coelum tollitur, id omne purius, rectius, apertius, expeditius ac planius in ſacro deprehenditur codice.

II. Quid magis, ſi haec bene attendas, dolendum, quam multos ex coetu Chriſtianorum, ſibi ipſis de ſingularis copia ſapientiae plaudentium, reperiri, qui diuinam eruditionem a Deo traditam, in qua ſunt theſauri omnes ſcientiae et ſapientiae reconditi, aſpernantes, gentilium philoſophorum ſcripta non in deliciis ſaltem habent, aliiſque commendant, ſed impias etiam, nefandas ac deteſtandas ſententias, praecepta ac conſilia, diuino honori honeſtaeque legibus reipublicae infenſa, ad quorum recordationem Deo deuotus animus perhorreſcit, in medium afferunt? Iure, et optimo ſane iure, in hanc claſſem referenda peſſima illorum hominum abominandorum ſcita iuſſaque, qui nulli uerentur, corporis morbos curandi ergo, uitiorum peccatorumque exercitium, commendare ac defendere. Quemadmodum uero neminem tam ſceleratum, tam perditum ac dementem inueniri poſſe, qui haec ſerio affirmare et propugnare audeat, arbitror, ita nec ioco quidem talia dogmata, quae petulanti iuuentuti ſunt offendiculo, eſſe proponenda, certus ſum. Imo, cum huiuſmodi uitia, nobis ſub uirtutum nomine ſubrepant partim, partim leuiorum titulo peccatorum, quae peccatilla dicunt, inſignita, plurimorum patrociniis, iam a corporis conſtitutione, iam a morali politicaque cauſa deductis, defendantur, operae omnino pretium eſſe duxi, explicata atque aperta ſufficientium argumentorum interpretatione demonſtrare: *quod morbi corporis morbis mentis non curentur, nec curandi ſint.*

III. Superuacaneum plane cenſeo, hic multis, morbos corporis animaeque, uerbis deſcribere, cum horum natura, differentia, atque effectus, neminem omnino lateant, atque omnes moralis doctrinae & artis ſalutaris doctores, ad nauſeam uſque, haec pertractarint. Quo uero clarius noſtrae ſententiae fundamentum conſtet, hoc in genere monendum eſſe duximus, quod contra illos diſputemus, qui modo ſcortatione, modo ebrietate, aliiſque huiuſmodi morbis, animo labem affricantibus, iam ſuppreſſum fluxum menſtruum, aut furorem uterinum, iam febres, aliaſque corporis infirmitates, curandas eſſe, perhibent. Qui talia affirmare, ac ſine omni ſenſu iudicioque blaterare audent, ſummam ſui ipſius, in qua uerſantur, ignorantiam produnt; homo quippe duplici parte eſſentiali, mente ſcilicet & corpore compoſitus, perfecta tum dicitur frui ſanitate, ſi mens ſana in ſano adſit corpore; adeoque ad perfectam hominis ſanitatem, utriuſque ſubſtantiae hominem componentis integritas requiritur; unde, laeſa mente, ob intimum, quod inter has natura diuerſas partes intercedit, commercium, corpus quoque afficitur, & uice uerſa, corpore laborante, animus pariter affligitur. Ac qua ratione, introductis animi morbis, uitia corporis curari poſſunt, cum utriuſque partis diuerſa ſit eſſentia ac natura, et materialis altera, altera materiae expers? quomodo, quaeſo, labefactata mentis integritate, corruptus corporis ſtatus emendari poteſt? Certum potius, quod ad deperditam corporis ualetudinem reſtituendam, mentis omnibus morbis liberae ſolutaeque tranquillitas plurimum contribuat, prouti frequens infirmitatum corpus miſere affligentium origo, ab animi perturbationibus dependens, confirmat. Confirmant idem animantia bruta, quae animi pathematum maximam partem expertia, uel nullis, uel paucis rariſſime morbis laborant. Luculentum quoque teſtimonium homines moroſi, iracundi, nobis praebent, qui animi affectibus nimis indulgendo, diuerſis perpetuo corporis incommodis afflicti detinentur, nec prius ab iiſdem liberantur, quam ſedatis animi turbis fluctibuſque, quo peracto, cum mentis tranquillitate, corporis redit ſanitas.

IV.

IV. Dico igitur multis commotus rationibus, quod iſte in ſemetipſum iniuſtus ſit, qui leuioris mala momenti remoturus, grauiora et periculoſiora, deliberato conſilio, lubens uolenſque, ſibi accerſit, et hinc, loco exoptati, quem expectat, effectus, antiquis noua acerbioraque adiungit incommoda. Non poteſt iucunde uiui, niſi cum uirtute uiuatur, ac nullum certe theatrum uirtutis conſcientia maius eſt. Nobiliſſima hominis pars, eſt anima, corpore longe nobilior. Vnde quoque maior conſeruandae mentis quam corporis integritati cura impendenda, ac, cum ſapientia regat omnia, ordo, quem illa praeſcribit, probe obſeruandus, ut nempe corpus animo, animus Deo obſequium praeſtans, humanam, quae in mentis corporiſque ſanitate conſiſtit, felicitatem promoueat. Decet quidem, in morborum medela, medicinae conſultorum conſilia atque auxilia ſequi et adhibere, ſic tamen, ne quid habeant turpe, obſcoenum, flagitioſum, et diuinis, quod rei ſumma eſt, legibus inimicum; non enim corporis ſanitas, uel cum minimo uirtutis diſpendio, quaerenda, uti ſapientum inculcat ſententia, nec malum faciendum, nec eius ſimile; nec facienda mala, ut inde eueniant bona. Si denique ex duobus malis minus eligendum, praeſtat corpore, quam anima languere, *βέλτιόν ἐστι*, canit EVRIPIDES, *σῶμά γ' ἢ ψυχὴν νοσεῖν.* Quod melius adhuc iniqui exemplo uiri, quem mens mali conſcia perpetuo ac grauius, quam corporis cruciatus, angit atque affligit, PYTHAGORAS declarat, ſequentibus uſus: *κακὰ μείζω πάσχει διὰ τοῦ συνειδότος ὁ ἀδικῶν βασανιζόμενος, ἢ ὁ τῷ σώματι καὶ ταῖς πληγαῖς μαστιγούμενος.* Cum igitur magis de mentis quam corporis integritate ſolliciti debeamus eſſe, nunquam media illicita, quorum iam facta mentio, adhibenda, quia corpori emolumentum praeſtare nequit, quod animae affert interitum.

V. At enim uero, neceſſitas, obiicis, neceſſitas, inquis, durum telum, et magnum, teſte SENECA, (a) humanae infelicitatis patrocinium, ac lex temporis, me, ad ea, quae nolo,

quae

(a) Rh. lib. 4. Ex. Contr. 4. et 27.

quae auerſor, quae deteſtor, patranda, inuitum adigit. Sed, quae eſt illa neceſſitas, quae te reluctantem cogit? cui nulla ui reſiſtere, quam nulla ratione mutare, aut abarcere potes? cura carnis eſt, quam animae ſaluti praefers; uoluptates, quas arctiori ſectaris amplexu, uirtutum culturae atque exercitio remoras iniiciunt. Culpa, denuo excipis, in corpore meo, ac connata illius diſpoſitione, haeret. Ad Apoſtoli Pauli (b) teſtimonium prouocas, qui eandem peccandi uim ac neceſſitatem accuſans, his demum uerbis concludit: *οἶδα γάρ ὅτι ἐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ, (τῦτ' ἔςιν, ἐν τῇ σαρκί μυ) ἀγαθὸν· τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν, ἐχ εὑρίσκω. Ου γὰρ, ὃ θέλω, ποιῶ ἀγαθὸν, ἀλλ' ὃ ἐ θέλω κακὸν, τῦτο πράσσω.* Nullum uero, ſi haec omnia rite examinas, tua peccandi libido hic inuenit aſylum; omnes quidem homines ad uitia proni promtique ſunt, nec ullus a peccatis omnino immunis inter mortales reperitur, ſed hinc non euincitur, uel peccandi neceſſitas, aut licentia; dedit tibi Deus animam rationalem, indiditque eidem intellectum ac uoluntatem; ſuppeditauit tibi annotatam in ſacro codice credendorum atque agendorum normam, quae ab huius mundi illecebris et uoluptatibus te auocans, Chriſti uitam doctrinamque inculcat, atque in illa humanam illius probitatem, ad imitandum, miracula, atque ex iis perſpectam omnipotentiam, ad obediendum, ac coeleſtem ſapientiam, ex doctrina elucentem, ad credendum, tibi ſiſtit. Nam, ſi quis, quae Chriſtus praecepit, perpendat, omnia noſtris prouehendis emolumentis ſeruire, comperiet. Homo igitur carnis deſiderio morem gerens, diuinae repugnat uoluntati; unde ſatis diſtincte gentium doctor, allegato loco, perhibet, quod in ſe, *τῦτ' ἔςιν ἐν σαρκὶ,* hoc eſt, in carne ſua, atque ab eadem dependente perturbationum impetu, bonum plane deſideret. Dehinc autem homini poteſtas bonas perficiendi actiones minime denegatur, eandem potius homini largiter conceſſam eſſe, et hinc eiuſdem operationem, ad obtinendam animae ſalutem, ab eodem exigi, idem

(b) Epiſt. ad Romanos, cap. 7. uerſ. 14. et 15. 18. et 19. 23. uſque ad finem.

idem docet doctor (c), hisce nobis uirtutum culturam, ac uitiorum fugam iniungens: *οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν· οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα, τὰ τοῦ πνεύματος; τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς, θάνατος· τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος, ζωὴ καὶ εἰρήνη. Διότι τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, ἔχθρα εἰς Θεόν· τῷ γὰρ νόμῳ τοῦ Θεοῦ οὐχ ὑποτάσσεται, οὐδὲ γὰρ δύναται· οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες Θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται.* Temeraria igitur atque impia est illorum assertio, qui affirmant, aliisque persuadere satagunt, quod uirgines ac uiduae chlorosi, menstrui obstructione fluxus, et similibus laborantes morbis, non alia methodo, quam coitus subsidio curari queant, ac, quod idem dehinc, siue licito, siue illicito fiat modo, sanitatem restituendi, et uitam conseruandi ergo, sit celebrandus. De hoc uero, haec habe: coitum in hisce morbis haud raro perniciosum esse, cum iidem saepenumero uel frequentioris uel impuri concubitus effectus fructusque sint. Deinceps, si etiam concedamus, in huiusmodi subiectis, coitum, ad sanitatis restaurationem, quandoque utilem, imo necessarium esse, idem tamen nunquam illicito concedendus modo, sed contracto demum suscipiendus matrimonio. Ast, quid agendum, regeris, si circumstantiae matrimonium contrahendum impedientes adsunt. Quaenam sunt hae circumstantiae? deest, respondes, iuuenis diuitiis, pulchritudine, dignitate, et generis nobilitate praeditus? Egregia sane mones! pictorem accersemus, qui tibi talem, qualem desideras, cum gentis suae insignibus et maioribus, quam elegantissime pictum sistat. Stulte, si filiae tuae morbis afflictae maritum quaeris, uirum selige honestum, licet inopem, Themistoclis inhaerens uestigiis, qui ex filiae procis uirum probum diuiti praeferens, cum multi attoniti hinc redditi, cur hoc fecisset, ex eodem quaererent, *ἄνδρα ζητῶ χρημάτων δεόμενον μᾶλλον, ἢ χρήματα ἀνδρός,* malo, ait, uirum pecunia, quam pecuniam uiro egentem.

VI. Probe praeterea hic obseruandum, uti supra iam indicaui, genuinas morborum uirgines uiduasque affligentium caussas celari partim, partim cum falsis confundi, et dehinc etiam

(c) Epistola ad Romanos, Cap. 8. a uers. 5. usque ad 8.

ſpuria minuſque congrua ſubſidia, ad eorum extirpationem, commendari. Certiorem de his te reddent diſcrepans illorum, quos explicamus, affectuum origo, uaria, quibus ſtipantur, ſymptomata, diuerſaque ſubiectorum his afflictorum conſtitutio, uitaeque ac uictus ratio. Quem latet, multas uirgines foeminasque, uitae ſedentariae perpetuo addictas, ex uoluntarii languore motus, uiſcerumque et uaſorum, per quae ſucci tranſeunt, inertia, pituitoſorum coaceruationi humorum, quibus extremi canalium oppilantur diametri, anſam praebere? Cui ignotum, quod plura elegantioris ſexus ſubiecta, ſuperbia atque inanis deſiderio pulchritudinis commota, abdomen, ornatus ergo, thoracibus nimis conſtringendo et comprimendo, uiſcerum obſtructiones, tabem, icterum, hydropem, aliaque ſibi accerſant mala. Plures pariter obſeruationes docent, haud raro ex uictu pleniore, uberiorem ſanguinis, ſanguiferis uaſis minus proportionatam copiam, in foeminis colligi, quae uaſa nimis diſtendendo infarciendoque, liberum retardat cohibetque progreſſum, ac multorum incommodorum, uenaeſectione, non coitu, remouendorum, cauſa exiſtit. Si denique praeſens uitae genus, perditoſque, quibus plura ſexus ſequioris ſubiecta delectantur, mores conſideres, frequentior morborum muliebrium cauſa, a crebrioris exceſſu, quam rarioris defectu coitus, repetenda erit. Iidem hoc modo maxime a uero aberrant, qui in ſexu ſequiore, omnium fere morborum cauſam a menſtrui ſuppreſſione fluxus deducentes, coitum, ut obſtructi tubuli cryptaeque uterinae, repetita per immiſſam emiſſamque mentulam frictione, reſerentur, repetitis ſuſcipiendum uicibus, tanquam certiſſimum & praeſentiſſimum ſubſidium, laudant. Nam, in multis foeminis libera ſanguinis abundantis per muliebria quouis menſe eliminandi, ſine ullo incommodo, excretio contingit, et nihilo ſecius eaedem, culpa primarum uiarum, et cruditatum in iiſdem haerentium, aut ſuppreſſae uitio perſpirationis, uel ſecretionis lotii, ut reliqua taceam, diuerſis laborant affectibus. Licet etiam haud raro malorum iſtiuſmodi eſſentia a ſuppreſſa menſtrui ſanguinis ſecretione atque excretione dependeat, minime hinc abſoluta coitus, ad perficiendam

endam affectus illius medelam, utilitas ac neceſſitas euincitur; cum enim cauſae, quibus fluxus menſtruus retardatur, aut plane ſupprimitur, multiplices exiſtant, medicus, perſpecta earum indole, remedia iiſdem accommodata et ſufficientia, quorum maximam poſſidemus copiam, praeſcribere, et ſimul congruam uictus uiuendique rationem, medelae facilitandae atque accelerandae proſpicientem ſerio iniungere debet.

VII. Quale uero, mones, omnibus medicamentis incaſſum adhibitis, atque aegrota in deploratiſſimo conſtituta ſtatu, conſilium capiendum; ex tuo ſane hominumque ſimilis tecum farinae inſtituto, coitus, illa, quam hic denuo laudabis, foeminarum, atque incommodorum his infeſtorum, panacea erit; tot, ais, proſtant obſeruationes meam ſententiam confirmantes, tot foeminarum adhuc ſuperſtitum, pro deploratis antea habitarum exempla loquuntur. Egomet, uti antecedentibus iam conceſſi, plane non eo inficias, quod coitus in iuſtae uirginibus aetatis ſuſceptus ſalutarem perſaepe nanciſcatur effectum; nec diſuadeo eundem in ſubiectis fortiori impenſioris amoris oeſtro percitis; legitima ſaltem, ut idem peragatur, ratione, contracto prius matrimonio, deſidero. Sin uero ipſa uirgo uiduaque matrimonii teneatur nauſea, aut hoc aliae, eaeque iuſtae impediant circumſtantiae, nec tamen ſine coitu in uiuis conſeruari poſſet puella, coitus nihiloſecius illicitus repudiandus, diſſuadendus, cum melius ſit, corpus, quod per ſe corruptioni obnoxium, perire, quam corpus cum anima aeternis commiſſum cruciatibus, corruptionem nunquam finiendam, omnique temporali maiorem acerbioremque calamitate, incurrere. Nec ab hac ſententia, inanis ac friuola eorum obiectio, te dimoueat, qui neglecta huiuſmodi illiciti alias ſubſidii applicatione, ſi exinde uirgo maiorem partium genitalium labem, non amplius deinceps emendandam, contrahat, ac praematura obeat morte, ſubtilem *αὐτοχειρίαν* committi, aſſerunt. Nam, ut taceam, hic in aſſignandis praematuri cauſis interitus, haud raro graues admitti errores, ita uirgo uiduaque, ſi prudentem peritumque medicum in conſilium auxiliumque uocauit, ac remediis ab eodem praeſcri-

ptis debita ratione usa fuit, et simul debitum in reliquarum rerum, quas nonnaturales dicunt, usu, ordinem exacte obseruauit, de αὐτοχειρίᾳ minus sollicita esse debet. Longe aliter uero res est comparata, si uirgo honesta, a pessima perditissimorum militum colluuie, maxima ui uiolento subiecta stupro, sibi ipsi manus iniiciendo, mortem accersat, quale quid de Euphrasia ZEILERVS (d) et NICEPHORVS (e) referunt, quae, repudiato, quod illi Athimus, Nicomediae episcopus, dederat, consilio, αὐτοχειρίαν uiolento stupro praetulit.

VIII. Longe adhuc faciliorem dubiorum, quae a uiris desumta mouentur, refutationem iudico; minus fundatum et perniciosum plane imperitorum impiorumque hominum praeiudicium est, genitalem in uiris liquorem, si pubertatis annis tempestiuo coitu non emittatur, stagnare, putrescere, sanguinemque putredine sua ac corrupta indole inficiendo, uaria genitalium partium totiusque corporis uitia, maniam in specie, diuersae exanthemata naturae, excitare, non nisi coitus ministerio denuo remouenda. Enimuero absona plane est causa, quam in dictorum explicatione affectuum occupatus allegas, peius et deterius adhuc est auxilium, quod hic commendas. Incommoda quippe, quae ab abundantis stagnatione ac corruptione seminis arcessis, saepe ab impuro coitu, uirulentaque, quae se se genitalibus insinuauit, massa, dependent. Frequentius adhuc eadem, uel a sanguinis abundantia, uel mala eiusdem qualitate, alcalinorum praesertim excessu salium, oriuntur. Tantum igitur abest, ut coitus, si eiusdem effectum cum allegatis allegatorum morborum causis conferas, iisdem emendandis ac tollendis conueniat, ut potius, easdem augendo atque exasperando, omnia reddat deteriora. Liquor enim defecatissimus, qui per tomentosas arteriarum spermaticarum extremitates transcolatus, exiles, quibus testiculi constant, tubulos transit, flos, optimaque sanguinis pars, existit. Vnde uberiorem illius profusionem maxima uirium prostratio, tabes, sitis, mentis

omnium-

(d) in Sendschreiben Part. 2. epist. 447. p. 477. (e) lib. 7. histor. eccles. cap. 13. p. 268.

omniumque functionum hebetudo, ſequitur. Nec de ſeminis ſtagnantis putrefactione ſis ſollicitus, iſte nimirum liquor collectus, per poros uenarum ac uaſorum limphaticorum penetrans cum limphae ſanguiniſque maſſa denuo miſcetur, mixtus circulatur, et uberiorem omnibus totius machinae partibus ſuccum nutritium ſuppeditando, nouum toti corpori robur inſpirat, ac corporis incrementum promouet. Quod maniam attinet, peculiare aegroti, quem curandum habui, exemplum mihi iam occurrit: uir quadraginta et duorum annorum, matrimonio ſatis tranquillo per plures uſus annos, cum, numeroſa procreata ſobole, ſumtus, qui iſti alendae neceſſarii erant, demum deficerent, adit conſueto tempore coniugem, coitum celebraturus; haec uero, eodem repudiato, monet, ut magis de praeſentibus liberis alendis, quam nouis procreandis ſit ſollicitus. Haec coniugis monita menti altius infixa, curam de alenda prole, quae illum iam diu anxium tenuerat, eo pertinaciorem & grauiorem reddebant, quo maiorem ex coitus repulſa, quam dederat coniux, dolorem percipiebat. Ab eo tempore uir ille triſtis, conturbatus, demiſſus, diffidens, alta trahens ſuſpiria, incedit, neſcio, qua ſtulta futuri mali perſuaſione perpetuo occupatus. Mens itaque conſtanti triſtium cogitationum agitatione perturbata atque exagitata nullam corpori concedebat quietem, omnemque abarcendo ſomnum, uniuerſi actiones corporis ita turbabat, ut perfectum demum delirium, furoris febriſque expers, quod melancholiam dicunt, hinc emergeret. In hoc rerum ſtatu conſulitur medicus, qui allegatis circumſtantiis perſpectis, ſeminis ſtagnationem ac putrefactionem accuſans, coitum cum coniuge ſuſcipiendum ſuadet. Coniux, hoc audito conſilio, multis illecebris uariiſque technis ad coitum, quem antea imprudens repudiarat, maritum pellicit; ſed, eodem aliquoties celebrato, loco emendationis et ſanitatis, quam hinc ſperabant, expectabant, mania, delirium, melancholia adhuc grauius, furore horrendum, ac totius corporis tabes, ſuccedebant; quae incommoda ſolo feroſorum, gelatinoſorum, ſubacidorum, aliorumque temperantium uſu profligata, non ſeminis ſtagnationem ac corruptionem, ſed

exhaustum continuo moerore et meditatione serum nutritium, solidorumque ariditatem hinc contractam, in culpa fuisse, demonstrabant. Discant ex his imprudentes, quibus auctoritatis praeiudicium, omnem sensus, rationis ac iudicii usum ademit, quod persaepe in eruendis ac iudicandis morbis nimis festinantes, genuinas causas ignoremus partim, partim antecedentem cum proxima, uel externam cum interna confundamus, falsasque substituamus. Quis igitur non uidet, a BIERLINGIO (f) maniae causam iniuste in semen retentum, coniici? Quis GALENI (g) nugis assensum praebere potest, affirmantis, quod quosdam nouerit, qui, nisi assiduo uenerem exercuerint, capitis grauitate, nausea, febribus, uniuersi corporis languore affecti fuerint. Moeroris atque intermissi coitus effectus IASON A PRATIS (h) ac PAVLLINI (i) confundunt, a neglecta uenere deriuantes, quod tristitiae adscribendum. Eodem plane modo idem cum epilepsia et morte, quam intermisso coitui successisse, ZACVTVS LVSITANVS (k) literarum monumentis consignauit, comparatum est, nam, cum uires frequentiore primum coitu fuerint exhaustae, et deinceps ieiuniis, abstinentia, sacris meditationibus corpus maiorem indies debilitatem, uitalibus succis orbatum, contraxerit, magis antegressi in uenere excessus, atque inediae, quam intermissus coitus, accusanda ueniunt; imo, si addamus seminis, quod in uase deferente, ex VIRIDETI (l) obseruatione, deprehensum fuit, corruptionem addamus, epilepsia pro luis uenereae potius, quam castitatis effectu, hic habenda erit. Nec dubium est, morbos, quibus Imperator Constantinus, Comes Monterreus, Hispanus, Michael Verinus, laborarunt, ab aliis, quam castitate, causis, prouenisse. Fide potius dignum, quod castitas allegatorum heroum, debili infirmaque corporum morbis perpetuo afflictorum constitutione, defensa fuerit; uti pariter studium castitatis, optimum uitae

(f) M. N. C. Dec. I. Ao. 2. obs. 151. p. 236. (g) de loc. aff. l. 6. c. 5. fol. 38. (h) de Steril. p. 75. (i) M. N. C. Dec. II. A. 9. obs. 189. p. 353. (k) Prax. med. admir. l. 2. obs. 19. (l) de Prima Coctione Part. 2. cap. 5. p. 305.

uitae per aliquod temporis ſpatium adhuc conſeruandae ſubſidium in illis fuit. His perſpectis, damnandum plane illorum conſilium, qui uenerem, eamque minus licitam, commendantes, non ſanitatis, ſed mortis antiſtites, uocandi ſunt. Huius ſortis fuerunt illi, qui Michaelis Verini curam gerentes idem auxilium laudabant, uti ipſemet in literis ad Paulum amicum datis, ſequentibus fatetur: promittunt medici coitu mihi, Paule, ſalutem, non tanti uitae ſit mihi certa ſalus. En peſſimum impiorum medicorum conſilium, atque optimam aegroti determinationem! Eadem animi conſtantia iniquam opem, quam ex uenere expectandam medici dicebant, Comes Monterreus, teſte CASP. A REIES, (m) reprobauit, perpetuo regerens: non poſſe aliquid corpori utile eſſe, quod animae noceat.

IX. Poſſunt ſane, quae de melancholia, mania, aliiſque morbis, antecedentibus commemoraui, maxima rerum momentorumque conuenientia, ad uterini, quem a coitus defectu deducunt, furoris explicationem applicari. Frequentius hoc malo foeminae in coniugio uiuentes, crebriori exercitae coitu, afficiuntur, quam uirgines illibatae. Quis hic coitum, quo ſolidorum attritus, fluidorumque acrimonia & reſolutio augetur, commendabit? Si etiam uirginum hoc malo affectarum exempla quandoque occurrant, eiuſdem origo a peruerſa potius educatione, & frequenti cum iuuenibus uiriſque conſuetudine, luſu, ioco, continuiſque hinc orti amoris menti fortius impreſſi ſtimulis, quam ab uteri uterinarumque partium labe, uel alio corporis uitio, arceſſenda erit. Conſidera modo, quam deploranda methodo plures Parentes in puellis educandis utantur; loco pietatis, loco ceterarum uirtutum, loco uerarum de rebus opinionum, ad quas imbibendas atque exercendas, mox a teneris annis puellae perpetuis ſeriiſque monitis deducendae atque aſſuefaciendae ſunt, adeo, ut hoc bene agendi exercitium iis prope in naturam uertatur, ut non poſſint, niſi coactae et reluctantes, ad male agendum pertrahi; horum inquam loco, quam primum uoces quaſdam exprimere, et greſſus dirigere didi-

(m) Camp. Elyſ. iuc. quaeſt. 46. §. 22. p. 379.

didicerunt, ad linguae gallicae magiſtrum, et ſaltationis artificem mittuntur, ac reliquum tempus ornando corpori, comprimendo praeſertim abdomini, ut hinc gracilia reddantur, impendunt. Adoleſcunt hinc perditi cum perdito uitae genere mores, uirgineſque, quam primum acceſſit pubertas, non de pietate aliiſque uirtutibus, ſed de ſolo corporis ornatu ſollicitae, omne tempus nugando, hiſtorias amatorias legendo, terunt, parteſque, embryonum aliquando nutritioni dicatas, mammas ſcilicet, quas pudor occultare iubet, nudas, tanquam ſigna ac uenalium illecebras rerum, gerunt. Plane igitur non mirandum, tam frequentes in multorum matrimoniis eſſe calamitates; quomodo enim amor, niſi ex uirtute oriatur, conſtans eſſe poteſt? uirtus ſola eſt, quae diſſidentes coniungit animos; uirtus praemium eſt optimum; uirtus omnibus rebus anteit; uirtus omnia in ſe habet; omnia aſſunt bona, quem penes eſt uirtus. Virtutibus hinc filias tuas inſtrue, et tum eaedem nullius rei ad bene uiuendum, ad matrimonium prudenter gerendum, indigebunt. Sed in tempore ac mox ineunte aetate, illis opera nauanda, ſi iam pubertatis anni acceſſerunt, oleum atque operam perdis, audi EPICTETVM, (n) ciuſque praecepta in ſuccum et ſanguinem conuerte, *αἱ γυναῖκες*, ſcribit illle, *εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν, ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται· Τοιγαροῦν ὁρῶσαι, ὅτι ἄλλο μὲν οὐδὲν αὐταῖς, πρόσεστι, μόνον δὲ συγκοιμῶνται τοῖς ἀνδράσιν, ἄρχονται καλλωπίζεσθαι, καὶ ἐν τούτῳ πάσας ἔχειν τὰς ἐλπίδας. Προσέχειν οὖν ἄξιον, ἵνα αἴσθωνται, διότι ἐπ᾽ οὐδενὶ ἄλλῳ τιμῶνται, ἢ τῷ κόσμιαι φαίνεσθαι, καὶ αἰδήμονες ἐν σωφροσύνῃ*, mulieres ſcilicet, ſtatim ab anno decimo quarto, a uiris dominae uocantur. Proinde, cum uident, ſe nihil aliud habere muneris, niſi, ut cum uiris concumbant, comere ſe incipiunt, atque in ornatu ſpem collocant omnem. Operae igitur pretium eſt, eaſdem edocere, ut ſentiant, ſibi non ob aliud honorem haberi, niſi, quod modeſtas ſe praebeant, et uerecundas ac temperantes. Probe haec nouit uirgo illa Graeca, quae paupercula roganti, quam dotem ſponſo

(n) Enchiridio cap. 62. p. 118. et ſequ.

ſo allatura eſſet, *τὴν πάτριον σωφροσύνην*, pudicitiam, inquit, a maioribus traditam. En generoſum uirginis caſtae teſtimonium! pulcherrimam omnino dotem habet, quae mores incorruptos adfert ad nuptias.

X. Non minus uero iuuenes ad tuendam caſtitatem, ciuitati ante omnia neceſſariam, exhortandi ſunt; matrimoniis enim ſcitis contineri ciuitatem, his populos, his liberos et ſucceſſionem matrimoniorum, et graduum haereditatem, his ſecuritatem domeſticam, quis eſt, qui ignoret, cum QVINTILIANO (o) pronuncio. O quantum eſt, exclamat OVIDIVS, (p) uni poſſe placere uiro! Eſt quidem ueneris uſus ſuauiſſimus, *τὸ ἀφροδισιάζειν*, ait ARISTOTELES, (q) *ἥδιςον*. Verum, attende pariter, quae Scipio Africanus Maſaniſſae apud LIVIVM (r) dedit monita, non eſt, mihi crede, tantum ab hoſtibus armatis aetati noſtrae periculi, quantum a circumfuſis undique uoluptatibus; qui eas ſua temperantia frenauit ac domuit, multo maius decus maioremque uictoriam ſibi peperit, quam nos, Syphace uicto, habemus. Magnus ſane fructus eſt pudicitiae et caſtitatis, eaque aduerſus omnes illecebras atque omnia delinimenta muliebris ingenii, precum, laborum ac temperantiae miniſterio, defendenda, nec uſus ueneris prius, quam contracto matrimonio, admittendus. Idem Sapiens gentilis tibi praecipit, *περὶ ἀφροδίσια*, ait idem, (s) *εἰς δύναμιν πρὸ γάμȣ καθαρευτέον· ἁπτομένῳ δὲ ὡς νομιμόν ἐςι, μεταληπτέον.* Idem ſuo exemplo in Hiſpania Scipio Africanus, teſte FLORO, (t) comprobauit. Alexander quoque, a factorum multitudine et magnitudine magnus dictus, uirgines regias excellentis formae, uti refert CVRTIVS, (u) tam ſancte habuit, quam ſi eodem, quo ipſe Parente, genitae forent. Coniugem Darii pariter, quam nulla aetatis ſuae, pulchritudine corporis uicit, adeo ipſe non uiolauit, ut ſummam adhibuerit curam, ne quis captiuo corpori illuderet. Imi-

(o) Declamat. 299. (p) lib. 1. de arte amandi, uerſ. 328. (q) Sect. 4. Problem. 16. (r) Hiſt. Rom. lib. 30. cap. 14. p. m. 749. (s) Epictetus Enchirid. cap. 47. pag. 101. (t) lib. 2. cap. 6. (u) lib 3 cap. 12.

tamini haec adolefcentes, & pro certo credite, quod pudicitia, fit penu uirtutis, ornatus uitae, fanitatis praefidium, morborum antidotus, longaeuitatis auctor, et, quod maximum, praeftantiffima, qua Deo placemus, mentis nobilitas. Quis igitur, quis, inquam, malus genius, peffima illa ac perniciofiffima per humanam gentem diffeminauit dogmata: quod adultus, licet coelebs, bis ad minimum, fi fanitatem uelit fartam tectamque, quauis hebdomade, coitum celebrare debeat, et, quod matrimonium, exhaufto fcortationibus aetatis flore, et fedato affectuum feruore, demum conueniat. Prouti uero adolefcentibus quam plurimis coitus minime prodeft, fed obeft, ac fubtrahendo limpham alibilem, corporis incrementum impedit, tabem, febrem hecticam, aliaque mala adducit, ita iuuenis uegetior, perpetuo coeundi defiderio diuexatus, uel honeftam in matrimonium ducat uirginem, aut abftinentia, imo inedia effrenes rei uenereae ftimulos compefcat; edendum enim eft, ut uiuamus, non, ut in uoluptate bachemur, *ἐσθίειν δεῖ*, funt Philofophi Graeci (x) uerba, *ἵνα ζῶμεν, οὐχ ἵνα ἡδώμεθα.* Sunt haec certa aduerfus libidinem remedia, quae paucis hic tibi commendo: ores, cafta legas, ieiunes, otia uites, fi uis feruare corpora cafta Deo. De fluuio Selemno PAVSANIAS (y) et RHODIGINVS (z) tradunt, quod eiufdem aqua tantam uim habeat, ut, qui eo flumine loti fuerunt, illos amoris uenerei capiat obliuio; quod, fi uerum, fubiungit PAVSANIAS: *σεμνότερον πολλῶν χρημάτων ἐστιν ἀνθρώποις τὸ ὕδωρ τοῦ Σελίμνου.* E re et uere dixit auctor, et optandum fane, ut ad noftra tempora durafſet haec aqua, ut iniquiffimis fratribus Sufannaeis remedium adhibere poffemus, quibus fas et aequum eft, alienas permolere uxores. Ante omnia uero hic eorum error demonftrandus, atque exemplis argumentifque refellendus ac coarguendus eft, qui coitum, puftularum macularumque, in corporis fuperficie, facie praefertim, prodeuntium, extirpationi, conuenire, affirmant; *es wird mit dem Herren nicht beffer*, dicunt peffimi

(x) Mufon. apud Stobaeum f. 18. (y) in Achaicis. (z) antiqu. lect. lib. 17. cap. 25.

mi deteſtandi huius conſilii auctores, *er muß zum Maegdgen gehen.* Sed abeas furcifer cum tuo conſilio ad graecum pi. Si unquam ſententia quaedam, tanquam abſona atque abſurda, a medicis exploſa fuit, nullam certe, modo propoſita deteriorem, inueniemus, ac quae magis a ſenſibus, a ſana ratione, omnique experientia abhorreat. Cauſa enim huiuſmodi puſtularum in facie aliiſque partibus efflorescentium, a ſeri gelatinoſi defectu, ſaliumque acrium exceſſu dependet, atque, ut paucis omnia complectar, ſcorbuti ſalino-alcalini effectus ſunt. Quis uero ſibi tam ſtupidum ac dementem hominem concipere poteſt, qui credat, genitalis profuſione liquoris, malam maſſae ſanguineae indolem emendari. Nonne ſuccus, qui coitu emittitur, optima gelatinae et limphae alibilis pars eſt? nonne, hac corpori ſubtracta, maior ſeri in ſanguine defectus, ſaliumque contra exceſſus atque acrimonia? nonne hoc modo, aucta, quae puſtulas conſtituit, materia peccante, maior cutis deformitas expectanda? Fuge potius, repudiato ſimul coitu, acria, quae uolatilibus ſalibus abundant, alimenta, potulenta ac medicamenta, et ſimpliciſſimo uictu, aqua ſcilicet ſimplici, et remediis eccoproticis acidis, qualia, decoctum tamarindorum, cremor tartari, etc. acrimoniam alcalinam corrige, dilue, atque elue. A plethora, regeris, perſaepe huiuſmodi maculae et puſtulae oriuntur, et tum coitus utilitatem omnino certam eſſe, affirmas. Aſt minime coitus, uerum uenae ſectio, ſcarificatio, et iam commendata medicamenta, et diaeta, conueniunt, quia nunquam ſanguis ſola copia, ſed corrupta ſimul indole, peccat. Vnde quoque huiuſmodi ſubiecta frequentiori coitu gonorrhoeam, aliaque genitalium partium uitia, imo ipſam luem ueneream, ſibi acceſſere et attrahere poſſunt, in qua, et facies, et reliquae partes, iam indicatis aut ſimilibus maculis frequenter obſidentur. Ex quibus ulterius ſole meridiano clarius elucet, talia exanthemata, coitus ſubſidio non profligari, ſed generari atque exaſperari.

XI. Et multi nihiloſecius hodieque in ea ſunt ſententia, quod longius, ad conſiſtentem uſque, imo ad prouectiorem aetatem, matrimonium ſit differendum, aut plane negligendum.

Si dono continentiae gaudes, tuum approbo inſtitutum, ſin uero hoc deſtituaris, coniugium impuro coelibatui, cum Paulo, (a) praefero, monente: *κρεῖσσον εἶναι γαμῆσαι, ἢ πυροῦσθαι.* Tempeſtiue uero, uiribus adhuc integris, in flore aetatis conſtitutus, uirginem uel foeminam uirtutibus ornatam, ſelige, elige, dilige. Quid enim prodeſt, tum demum contrahere matrimonium, ſi membra torpent, frigent, ſenſus hebeſcunt, ſucci uitales exhauſti partim, partim corrupti ſunt, et pluribus ſignis, quae mox imminentem mortem praeſagiunt, concurrentibus, magis de animae, quam corporis ſalute deceat ſollicitum eſſe. Verum, priſcorum ueſtigiis Germanorum te inhaerere, ais, de quibus TACITVS: (b) ſera iuuenum uenus, eoque inexhauſta pubertas. Idem teſtimonium Germanis dat IVLIVS CAESAR (c), qui diutiſſime, ſunt illius uerba, impuberes permanſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudem; hoc ali ſtaturam, hoc uires neruoſque confirmari, putant. Allegas ſane hic argumenta maximi momenti, noſtrae, non tuae ſententiae, ſtabiliendae ſeruientia, nihil aliud enim Taciti Caeſariſque uerbis demonſtratur, quam priſcorum caſtitas Germanorum, cui tam ſeueris addicti erant legibus, ut ſcortatio iiſdem res plane inaudita eſſet. Et eadem quondam pudicitiae laude florebant Spartani, unde Geradatas, Spartanus, ab hoſpite interrogatus, quid poenarum darent apud Spartanos adulteri, neque enim aduertere ſe quicquam hac de re a Lycurgo ſancitum, reſpondit: *οὐδεὶς, ὦ ξένε, γίνεται μοιχὸς παρ' ἡμῖν*, nullus nempe apud nos adulter eſt. Ac cum denuo hoſpes exciperet, quid tum, ſi exiſteret? *Πῶς ἄν*, Geradatas regeſſit, *μοιχὸς ἐν Σπάρτῃ γένοιτο, ἐν ᾗ πλοῦτος μὲν, καὶ τρυφὴ, καὶ καλλωπισμὸς ἀτιμάζονται, αἰδὼς δὲ καὶ εὐκοσμία καὶ τῶν ἡγουμένων πειθὼ πρεσβεύονται.* Noſtra igitur ſententia plane non eſt, ut ante iuſtum corporis incrementum, ſed uigente potius aetate, antequam obrepat ſenectus, uxorem ducas. Te nihiloſecius, pergis, multis ac legitimis irretitum obſtaculis, a matrimonio tempeſtiue ineundo auocari.

(a) Epiſtola I. ad Corinth. cap. 7. uerſ. 9. (b) de Moribus German. cap. 20. (c) lib. 6. de bello Gallico, cap. 21.

cari. Quaenam ſunt iſta? nondum, reſpondes, ſunt mihi reditus ſtati; aut reditus mei alendae toti familiae non ſufficiunt; ea pariter, quam affecto, dignitate adhuc deſtituor, ad quam, ſi euectus fuero, quamcunque uolo coniugem, et gentis nobilitate inſignem, pulchritudine eximiam, atque opibus affluentem, ſeligere poſſum. Sed uideo iam ex friuolis tuis rationibus atque impedimentis, quod genuinum matrimonii finem uel ignores, uel non attendas. Diodorus interrogatus, qualis foemina in matrimonium ſit ducenda, *ἐυ τεθϱαμμένη*, bene educata, reſpondit, *κϱεῖττον γάϱ ἔςιν*, pergit idem, *ἐυ τεθϱαμμένην λαβεῖν γυναῖκα ἄπϱοικον, ἢ κακῶς μετὰ χϱημάτων*; nam magna dos, uti ſapienter monet Clitarchus, non efficit meliores liberos. Quid uero aliud in matrimonio, quam liberorum propagatio atque educatio quaeritur? Quid dulcius hominum generi datum eſt, quam ſani corporis ac bonae indolis liberi? Sanae autem procreandae ſoboli ſenex debilis et ſtrigoſus minus aptus exiſtit, ſed infantes, quos procreat, miſeri, debileſque aduerſa perpetuo conflictantur ualetudine. Huc reſpexiſſe Platonem iudico, qui, poſtquam ſuos ciues ad matrimonium tempeſtiue ineundum, hortatus fuiſſet, iis demum ſequentem promulgauit legem: *μὴ γαμῶν ἔτη τϱιάκοντα γεγαὼς καὶ πέντε, ζημιέσθω*, hoc eſt, qui triginta quinque annos natus non ducit uxorem, mulctetur. Eadem fuit Lycurgi mens atque inſtitutum, qui coelibes a publicis conuentibus abarcens, aliaſque ignominias addens, magnam liberos honeſta ratione gignendi curam iniecit. Nec e re eſt, ut de ſubſidiis alendae familiae neceſſariis adeo anxius ſis, ſi modo orando ac laborando, tua, quae tua ſunt, agas, ceteraque relinquas Deo, atque ea, quae tibi ſunt expetenda, non uoluptate ſed neceſſitate metiaris.

XII. Recede igitur in te ipſum, ac leges diuinas tecum perpende, qui ſcortationem, cui indulges, ſub clandeſtini titulo matrimonii, quod Galli *Mariage de conſcience* uocant, defendis. Si enim tibi curae cordique eſt, foeminam uel uirginem, cuius familiari uteris conſuetudine, uxorem ducere, cur

idem non palam profiteris? cur non ſacerdotalis miniſterio copulae et benedictionis idem confirmas? ſuperflua haec tibi uidentur, quae egomet neceſſaria iudico, cum bonos mores, et politicum eccleſiaſticumque in republica ordinem, quo nihil pulchrius, nihil utilius, tueantur. Auſculta, quaeſo, quam ſerio Apoſtolus (d) ordinis neceſſitatem inculcet, πάντα, monet idem, εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γενέσθω. Deus ipſe ordinis atque ab eodem dependentis pacis eſt auctor, ὀ γάρ ἐστιν, inquit idem Apoſtolus, (e) ἀκαταστασίας ὁ Θεὸς, ἀλλ' εἰρήνης. In nulla uero re maior ordinis neceſſitas, quam in matrimonio. Quomodo igitur illud, in cuius principio praeſcriptus ordo negligitur, bene continuari poteſt? Quibus addendum, quod copula ſacerdotalis, ſit ritus laudabilis atque antiquiſſimus, a primis non ſaltem Chriſtianis, ſed ipſis etiam Ebraeis traditus, atque ad nos, omnium conſenſu ac ſuffragio, propagatus. Matrimonii hinc ſimulatione, ius matrimonii, quod caſtum, ſanctum, et legitimum ſit, uiolas, uti euentus, abdita ſceleratiſſimae mentis tuae uitia in apricum proferens, demonſtrat. Nam, leui orta diſcordia, uel conſpecta alia foemina pulchriore, eam, cui perpetuum conſtantemque promiſeras amorem, deſeris. Vaga igitur, cui deditus es, libido, et diuortium, quod, contracto debita ratione coniugio, tam facile obtineri nequit, technarum et figmentorum tuorum ſunt auctores. Moleſtiae matrimonii, a matrimonii colophone, qui illi per copulam ſacerdotalem addendus, te auocant; matrimonii quidem commoda deſideras, ſed illius incommoda auerſaris; aſt, uti tritum ſermone prouerbium habet: qui commoda ſentit, et incommoda ſentiat, neceſſe eſt. Omnibus adhaec matrimonii calamitates communes ſunt, ac nullus, licet optimam nactus ſit ſortem, ab omni parte beatus eſt, uti perappoſite Poeta Gallus ſequentibus indicauit: *Chacun ſent et fol et ſage les malheurs du mariage.* Leuat itaque dolorem atque aerumnas, quas matrimonium quandoque affert, communis humanae conditionis recordatio; ſua

(d) Epiſtola I. ad Corinthios cap. 14. uerſ. 40. (e) eadem epiſt. et cap. u. 33.

ſua enim, uti loquitur SENECA (f), cuique calamitas, tanquam ars aſſignatur. Dehinc collatis matrimonii incommodis, cum malis, quae coelibem uitam comitantur ac ſequuntur, longe deteriorem coelibis, quam coniugis conditionem eſſe, animaduertes. Et hoc praeſertim commemoratione dignum, quod calamitates, frequentes matrimonii comites, a multis nos malis abſtrahendo, nobis ſint patientiae gymnaſium, atque ad utiles ſalutareſque meditationes & actiones deducant.

XIII. Magis adhuc a recta mente deficiunt illi, qui impuri ac frequentis uitio coitus, eroſa urethra, ac liquoribus per eandem tranſeuntibus corruptis, purulentae profluuio materiae laborantes, idem per tranſplantationem, uti dicunt, curare ſatagunt; firmiter quippe huiuſmodi ueneris mancipiis perſuaſum eſt, quod gonorrhoea uirulenta impuro contracta coitu, nouo, cum uirgine puriore atque illibata adhuc, concubitu, morbi fomite in eius uterum proiecto, remoueri queat. Verum enim uero, certum omnino detrimentum, ſubiecto illi, cum quo huiuſmodi homines rem habent, afferunt, emolumentum uero, quod iidem hinc expectant, nullum eſt, imo praeſens iam uitium augetur atque exaſperatur, et morbi morbis, peccata peccatis cumulantur, atque infectis ſubiectis ſanis, talis labes lueſque latius diſſeminata ad alios quoque propagatur. Fit hoc modo reuera morbi illius tranſplantatio, ſed eadem aegrotus a uitio, quo affligitur, non immunis euadit. Ac qua methodo hoc fieri poteſt, ſi conſideras, quod per nouum coitum, partium genitalium exulceratio, materiaeque uirulentae acrimonia augeatur. Nam huius mali eſſentia in urethrae ac glandularum proſtratarum eroſione, et hinc proueniente puris minus magiſque corrupti et effoeti excretione conſiſtit; quo magis igitur partes illae mutuo ad ſe inuicem attritu agitantur, eo profundiora ac deteriora generantur ulcera, quae ipſum ſanguinem, propagata ad eundem materia peccante, ſimili inficiunt labe. Hanc autem genuinam allegati mali eſſe cauſam, illorum confirmatur exemplo atque experimento, qui ſola, eaque frequentiori penis, pro-

(f) Rh. l. 5. cont. 33.

propriis manibus ſuſcepta frictione atque irritatione, praeſertim, ſi dyſcraſia alcalina laborant, prius ſuperficialem, deinceps profundiorem mentulae exulcerationem experiuntur, leuibus primum ſtipatam ſymptomatibus, ac benignae notas gonorrhoeae obtinentem, quae deinde, continuata frictione, ulcus malignum inducendo, in malignam plane gonorrhoeam degenerat. Eo magis uero haec timenda ſunt, ſi gonorrhoea impuri coitus effectus eſt, ubi non ex mutuo ſaltem partium ad ſe inuicem attritu, ſed ipſa etiam uenerei communicatione ueneni, omnia ſymptomata deteriora ac grauiora ſunt, et longe peior ſtatus, eadem uitae ratione continuata, expectandus eſt. Vno uerbo, teſte experientia, ſuffragante ſimul ſana ratione, omnibus iiſque accommodatiſſimis remediis fruſtraneo utimur ſucceſſu, niſi aegroti ab omni plane uenere uenerisque exercitio abſtrahant. Illi dehinc, quibus ea, quae dedimus, praecepta, minus arrident, cum potiorem uoluptatis, quam ſanitatis habeant rationem, in fine demum, cuius toni ſit cantus, ſed nimis ſero, animaduertent. Lues quippe, quae omnium pernicioſiſſima eſt, quae bonam uniuerſi ſanguinis indolem corrumpit, quae ipſas partes ſolidas depaſcit, quae grauiſſima in diuerſis partibus, imo in toto corpore tormenta ac cruciatus parit, lues inquam, quam omnes probi honeſtique abominantur, continuati huiuſmodi laboris fructus eſt.

XIV. Quapropter omnia proſperae ualetudinis impedimenta remoue, ac mentis corporiſque tranquillitati atque integritati ante omnia uacans ſtudenſque, nunquam a uirtutis uia recede. Certum plane maximae temeritatis ac ſtupiditatis ſignum praebet illorum obiectio, qui longe deteriorem hominum, quam brutorum conditionem, in hac re eſſe, perhibent; cum brutis, in negotio coitus, ſua ſit conceſſa libertas, quae hominibus hac ratione denegetur. Tetris ſane ſtupidior es belluis, prae libidine, qua occoecatus es, non aduertens praerogatiuam, quam tum in omnibus, tum in hac praecipue functione homines prae brutis obtinent. Bruta quippe, nonniſi certo ſtatoque tempore, uenereo inflammata oeſtro, ad coeundum, concipiendum,

dum, ac generandum apta exiſtunt, homo uero ſanus, ſi organa genitalia bene ſint conſtituta, quouis tempore, ad haec, quae indicauimus, perficienda, aptus deprehenditur. En libertatem, quam deſideras! En hominum prae brutis in hoc opere praerogatiuam! His autem naturae priuilegiis, quibus excellis, non abuti debes, ſed eadem diuinis accommodanda legibus, alias te ipſum, uirtute ac poteſtate, quam obtines, priuando, peſſime corpori mentique tuae conſules. Ac quis, niſi infrunitae audaciae homo, humana peccata, argumentis a brutorum functione deſumtis, confirmabit? Turpe ſane eſt hominibus, qui corporis habitu ſunt erecti, et coelum, beatorum patriam, intueri ac reſpicere debent, eorum animos terrena ſemper, uilia, abiecta, imo uitioſa et flagitioſa, meraſque libidines meditari et ſectari. Certe, ſi uoluptarios aſpicio, rem miram inuenio; nam, ſicut febris hominem habet, et nihilominus homo dicitur habere febrem, ita et uoluptarii uoluptates habere et poſſidere dicuntur, ſed reuera a uoluptatibus habentur ipſi, ac poſſidentur.

XV. Voluptas quidem ſummum bonum eſt, ſed haec, quae ex uirtute, et propter quam uirtutes, qualis ex iis ſolis, quae ad animum pertinent, capitur; non illa, quae in corporis titillatione conſiſtens, uti corpus ipſum, uilis, foeda ac breuis eſt, qua ſaepius, et uehementius, et diutius pecora, quam homines perfruuntur. Quid pluribus opus? fugaciſſima eadem eſt, nec ulla ui retineri poteſt, nec unquam uenit pura, cuiuſcunque amaritudinis expers, ſed exinde cum morbi ad corpus, ac permagna ad rem familiarem damna redundant, tum ad animum certa poenitentia, et hebetudo ingenii, quod deliciis corporis extenuatur ac frangitur. Recedat hinc caterua Catilinae. Ego ſane uetabo, ſub iiſdem ſit trabibus mecum, quicunque, uti habet SALLVSTIVS (g), impudicus, adulter, ganeo, manu, uentre, pene, bona patria lacerauit. Abite hinc longius, obſcoeni ueneris ſerui, qui cum GVAINERIO melius eſſe ſtatuitis, per decennium uitam abbreuiare, quam uenereae dulce-

(g) Bello Catiliniario, cap. 14. p. m. 18.

dine uoluptatis carere. Recordor ſtudioſi Lipſienſis, qui noſtrae Academiae ſtatu examinato, ad ſolenne inuitatus conuiuium, Vitembergenſium ſtudioſorum uiuendi rationem maxime perſtringebat, perhibendo: eoſdem ad conſuetudinem cum ſexu elegantiore ineundam, remque ueneream delicate celebrandam, minus aptos idoneoſque eſſe. Huic uero unus ex conuiuis ingenue, et uti mihi uidebatur, ſatis adaequate reſpondebat: Vitembergenſium, qui de ſimplici et plano, inſtitutum eſt, diſſolutos hominis omnia affectantis, quem Galli *petit-maitre* nominant, mores auerſari, ac ſtudiis, non ſtupris, operam nauare. Diſcedite hinc, petulantes iuuenes, qui, uti uos BOCATIVS deſcribit, inter praecipuas felicitatis ueſtrae partes, frequentes enumeratis coitus, et plurium mulierum amicitias, ac ſi his indicare uelitis, quod ueſtra formoſitas omnibus ueniat commendanda, eo quod a multis deſideremini, aut ſuſpiciamini, ſic et robur extollatur, quod in coitu ualentes perſeuerantesque appareatis. Recedite hinc impii profanique homines, qui ſcortationis, ebrietatis aliorumque uitiorum, defenſionem a principiis naturalibus repetitis, aſſerendo: quod leges diuinae principiis naturalibus non debeant repugnare. Lubrico plane, falſo, plenoque erroris fundamento niteris; inuertenda potius tua ſententia, dicendumque, quod principia naturalia, quibus, in iuris naturae ac gentium explicatione, utimur, ſacrarum praeceptis literarum non debeant aduerſa eſſe. Satis quidem, proh dolor! certum, quod *τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς*, uti ipſum ueritatis habet effatum, (h) *σάρξ ἐστι.* Nec negandum, quod omnes natura ad peccata ſimus proni ac diſpoſiti, lucta hinc perpetua inter mentis corporiſque uoluptates, de qua ipſe Paulus (i) tam anxie conqueritur, *συνήδομαι*, ſcribens, *τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον· βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου, καὶ αἰχμαλοτίζοντά με τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσί μου.* Eo nihiloſecius quouis tempore ſumma annitendum cura, ut euitata peccandi

(h) Euangelio Ioannis, cap. 3. u. 6. (i) Epiſtola ad Romanos, cap. 7. uerſ. 22. et 23.

candi occaſione, compoſitiſque animi perturbationibus, maiorem quotidie in uirtutum exercitio habitum acquiramus. Facilius quippe eſt, teſte SENECA, (k) excludere perniciosa, quam regere, et non admittere, quam admiſſa moderari. Nam, quum ſe in poſſeſſione poſuerunt, potentiora rectore ſunt, nec recidi ſe minuique patiuntur. Deinde, ratio ipſa, cui freni traduntur, tamdiu potens eſt, quamdiu didacta eſt ab affectibus, ſi miſcuit ſe illis, et inquinauit, non poteſt continere, quos ſubmouere potuiſſet; commota enim ſemel et concuſſa mens, ei ſeruit, a quo impellitur. Quaenam demum ſunt tua, quibus tantam uim tribuis, principia naturalia, ut nullus uerearis diuinis eadem praeceptis praeferre? Omnes affectus, dicis, a diuerſa corporum noſtrorum conſtitutione dependent; multiplex eadem eſt, hinc diſcrepantes uoluntatum inclinationes, ita, ut alii, nonniſi ſublimia altaque, honores, dignitates, quaerant, alii contra, omnibus his poſtpoſitis, de diuitiis conquirendis, licet ſordida etiam atque infami fiat ratione, unice ac praecipue ſint ſolliciti. Nullam autem, ex omnibus animi perturbationibus, amore uehementiorem eſſe, CICERONIS (l) teſtimonio ſuffultus, urges; nulli affectui, diuerſas corporum diſpoſitiones, diſcrepantem partium genitalium fabricam, ac tot peculiares circumſtantias, maius, quam eidem, patrocinium conſtituere, mones; *ἔστι μὲν ἅδης, ἔστι δ' ἄφθιτος βία, ἔστι δὲ λύσσα μαινάς*, amor, ais cum SOPHOCLE, (m) orcus eſt, uis indomabilis, et inſana rabies. Certe, ulterius cum THEOCRITO (n) pronuncias, *βαρὺς θεός, ἦ ῥα λεαίνας μασθὸν ἐθήλαζε*, grauis Deus eſt, qui ſaeuae ubera Leaenae ſuxit. Audi, pergis, inauditas lamentantis apud Poetam (o) puellae querelas: *αἰ, αἰ*, exclamat eadem, *ἔρως ἀνιηρέ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας*, o moleſte amor, quid mihi atrum ſanguinem e corpore, uelut paluſtris hirudo inhaerens, exſuxiſti. At, quis negat, omnes affe-

(k) lib. 1. de ira cap. 7. p. m. 6. (l) Tuſcul. Quaeſt. lib. 4. (m) apud Stobaeum, Serm. 61. (n) Idyll. 3. uerſ. 15. et 16. (o) Theocrito Idyll. 2. uerſ. 55. et 56.

ctus, amorem praesertim, a quodam quasi naturali fluere principio? Curam nobis nostri natura mandauit, mutuum nobis ad generis propagationem indidit amorem, sed, ubi nimium, uel illicito illis indulseris modo, uitium est. Acclamo igitur tibi cum OVIDIO: (p) dum nouus est, coepto potius pugnemus amori: flamma recens parua sparsa recedit aqua. Imo, uti idem alio loco (q) prudenter suadet: quale sit, id, quod amas, celeri circumspice mente: et tua laesuro subtrahe colla iugo. Vno uerbo, principiis obsta, et, quamcunque etiam alleges causam, seria Dei uoluntas abs te castitatem desiderat, τȣ̃το γάρ, Pauli (r) sunt uerba, ἐςὶ θέλημα τȣ̃ Θεȣ̃, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας, εἰδέναι ἕκαςον ὑμῶν τὸ ἑαυτȣ̃ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ.

XVI. Nihil igitur, uti tibi corrupta tua ratio atque indefessum libidinis studium persuasit, hic uel aetatis feruori aut praedominantis, uti dicunt, temperamenti effectibus dandum. Iuuenes feruidioribus instructos succis, maiori, prae alius aetatis hominibus, salacitate diuexari, inter omnes constat; non desunt tamen congrua, quibus illa deleri potest, subsidia, partim enim omnis cum sexu sequiore consuetudo fugienda, mens ac corpus constanti exercenda labore, pauco et tenui utendum alimento, partim humores abundantes larga sanguinis euacuatione minuendi, acriores et stimulantes specialibus antidotis temperandi, corrigendi. Persaepe etiam, fictae falsaeque salacitatis causae allegantur, quae non in corporis dispositione, sed uel in mala consuetudine, aut adhibitorum abusu stimulantium consistunt. Textoris, qui nulla subsequente seminis emissione, frequentiori uxorem coitu delassauit, WEDELIVS (s) mentionem facit. Vidi, inquit, LENTILIVS, (t) salacissimos, in libidines uagas pronissimos, in quaeuis prostibula impetu uesano ruentes, qui, tantum abest, ut semine abundent, ut eius, ob tot profusio-

(p) epist. 16 Heroid. (q) lib. I. de remedio amoris. (r) Epistola I. ad Thessal. cap. 4. u. 5. (s) Pathol. med. dogm. Sect. 3. cap. II. p. 638. (t) Iatromnemat. Part. 2. cap. 34. p. 653.

fusiones, potius inopia laborent; imo, quo plus coeunt, eo minus foecunde coeunt, nihilominus priapismo, ut ita loquar, praeternaturali Satyrorum more affecti, cum pertica tensa undique discurrunt. Huius pariter loci est ille, qui, teste LVDOVICI, (u) amicae satisfacturus, integra cantharide cum diasatyrio deglutita, lethali sanguinis profluuio correptus, pertinacissimam penis rigiditatem, etiam post mortem durantem, expertus fuit. Mirandae exemplum salacitatis, ab acriore sanguinis constitutione dependentis, in sene quodam, ciue Quedlinburgensi, coniugem iuniorem et uegetam singulis diebus, decem ad minimum, saepe duodecim, quindecim, imo aliquando uiginti coitibus exercente, SCHMIDIVS (x) annotauit. Penis erectionem ab aquae Spadanae potu, HENRICVS AB HEER (y) obseruauit. Nobilis Germani, annum uigesimum agentis, qui una nocte inter duas puellas lasciuiens, cum se prius uino impleuisset, et plus quam tredecim amplexus expertus esset, rupta in pectore uena, extincti historiam FORESTVS (z) affert. Refert porro, citatus iam HENRICVS AB HEER, (a) de mercatore quodam sexagenario, quod idem, deuoratis cum syrupo cantharidibus, coitum promouendi ergo, maxima tentigine, insano genitalium pruritu, aliisque symptomatibus miserum in modum excruciatus fuerit. Binas ex Cabrolio obseruationes GEIERVS (b) adducit, ubi post largam cantharidum dosin, alter octuagies septies, alter quadragies coiuit. His similia sunt, quae de uiro summe libidinoso allegatus LENTILIVS (c) habet. Pruritum ac stimulum uenereum a purgantibus ortum PLATERVS (d) commemorat. Idem, aliis, ex usu medicamenti purgantis, euenisse, OLAVS BORRICHIVS, (e) TIMAEVS A GVLDENKLEE, (f) et LANZONVS, (g) testantur. Hortulanum senem ac ualde libidinosum PAVLLI-

(u) M. N. C. Dec. 1. Ao. 9. et 10. obs. 34. p. 98. (x) M. N. C. Dec. 2. A. 2. obs. 21. p. 280. (y) Spadacrene, cap. 15. p. m. 148. (z) obs. med. lib. 26. hist. 20. fol. 591. (a) obs. sect. 9. p. 95. (b) Schediasm. de Canthar. Sect. 2. c. 12. §. 1. (c) Miscell. medic. Pract. Part. 1. p. 227. et 229. (d) Obs. med. lib. 1. §. 263. (e) Act. Haffn. Vol. IV. obs. 73. p. 176. (f) Lib. 3. cas. 50. p. 193. (g) M. N. C. Dec. II. Ao. 10. obs. 141. p. 229.

NI (h) nouit, qui ſemper ante exercitia uenerea, mentulam et teſtes, uiridium faſciculo urticarum fricans ac caedens, rem ſuam ſtrenue atque ex uoto agebat. Meretrix Suſanna Loaſiz, auctore VALENTINI, (i) coram iudice praeſente narrauit, quod caupo quidam herniоſus, ante coitum ſibi urticas porrexerit, iubendo, ut membrum eius uirile caederet. Perlepida prorſus ſunt, quae FORESTO (k) leguntur, monachus enim, remedium temperans, ſalacitatem refrenandi ergo, deſiderans, nacto, per pharmacopoei errorem ſtimulante, quod ſponſo ſeniori, ad languentem uenerem exſuſcitandam, praeſcriptum erat, tota illa nocte, ueneris tentigine afflictus fuit, cum contra ſponſus nouae nuptae nihil hilaritatis attulerit. Multiplici ac ſordido Cyrenen artificio, uenerem in uiris irritandi ergo, uſam fuiſſe, RHODIGINVS (l) docet. Ex eodem ſua deſumſit VENETTE, (m) qui de allegatae inuentis Cyrenae ſequentem in modum loquitur: *toutes les poſtures, que la Courtiſane Cyrene inuenta autrefois jusqu' au nombre de douze pour ſe careſſer, que Pheilenis et Aſtyanaſſe publierent, qu' Elephantis compoſa en Vers Leonins, et que l' Empereur Tibere fit enſvite peindre autour de ſa Sale, nous font bienvoir, que les femmes ſavent mieux, que nous, toutes les ſoupleſſes de l' Amour, et qu' elles s' abondent plus aux Voluptés amoureuſes: En effet leur paſſion eſt plus uiolente et leur plaiſir long temps.* Ita multi uoluptatum blanditiis illecti miſerrime errant, errataque, quae deliberato committunt conſilio, ac uariis promouent ſubſidiis, inſonti aetati, temperamento, aliiſque huiuſmodi rebus a culpa uacuis immerito imputant.

XVII. Pro comperto itaque habeas planeque credas, quod iucundam ac dulcem iſtiuſmodi uoluptatum conſuetudinem triſtis admodum atque amarus conſequatur euentus; nam morbis men-

(h) M. N. C. Dec. II. Ao. 5. App. Obſ. 90. p. 56. (i) Nouellar. medic. legal. Caſ. 4. p. 50. (k) Obſ. medicin. lib. 26. obſ. 19. ſchol. fol. 591. (l) antiq. Lect. lib. 14. cap. 8. fol. 526. (m) tr. de la Generation de l' Homme Part. I. ch. 10. p. 246.

mentis hac ratione introductis, plures corporis infirmitates uberiori ſuccedunt ſegete, exhauſtis amore uiribus, inquit LANGIVS, (n) corpus laudabili et ſufficienti ſanguine deſtitutum pallet, oculi intra ſupercilia conduntur, cibum ſtomachus faſtidit, longo ſuſpirio ex imo pectore pulmo ingemiſcit, mens uacillat, cor languet, ex deſideratae aſpectu rei, tremulo pulſus motu fluctuat, quin ſolo nomine amicae pellicis audito, harmonia pulſus uariatur, et, uti canit OVIDIVS: fecit amor maciem et longa internodia crurum. Intempeſtiuus ac frequens coitus, ex TORREBLANCAE (o) obſeruatione, multas infirmitates, praematuram ſenectutem, ac mortem affert; coitus enim eadem fere ratione, qua morbus comitialis, corpus afficiendo, breui tempore totius humanae compagem motumque machinae diſſoluit, deſtruit atque extinguit. Euolue, ut, de his certior redditus, pernicioſos, quos foues, errores exuas, medicorum ſcripta, atque altius paulo annotatas in iiſdem hiſtorias, attenta mente examina, perpende, ac cum ratione, tanquam aequiſſima lance, diligenter aeſtima. Lege, quaeſo, quae SCHENCKIVS, (p) GRVNDELIVS (q), SALMVTHVS (r), HENRICVS AB HEER (s), de mania, melancholia, perpetua amentia ac ſtupiditate, aliiſque huiuſmodi deliriorum ſpeciebus, a frequentiori ueneris exercitio ortis, referunt, atque adductis exemplis confirmant. Sat graues primarum ueneris deliciarum poenas, ſponſus apud BARTHOLINVM, (t) perpetua neruorum imbecillitate luit. Apoplexiam, qua nobilis quadragenarius inter amplexus uenereos correptus fuit, atque in quam alius, ſed leuiorem, ex eadem incidit cauſa, diſtincte cum omnibus circumſtantiis HENRICVS AB HEER (u) et LVDOVICI (x) deſcripſerunt. Palpitationem cordis, animi deliquium, epilepſiam, ſummam memoriae laeſionem, tantam uirium proſtrationem atque inopiam, ut pedes corpori ferendo haud amplius pares

(n) lib. 1. epiſt. 24. p. 101. (o) de Magia, lib. 2. cap. 18. §. 20. p. 218. (p) Obſ. med. lib. 1. fol. 141. (q) M. N. C. Dec. II. Ao. 4. obſ. 166. p. 327. (r) Cent. 1. obſ. 61. p. 39. (s) obſ. 9. p. 102. (t) Cent. 6. hiſt. 94. p. 366. (u) obſ. cit. p. 108. (x) M. N. C. Dec. I. Ao. 9. et 10. obſ. 159. p. 351.

pares fuerint, aliaque plura incommoda ex uenereo actu enata, DOLAEVS (y), PLATERVS (z), TIMAEVS A GVLDENKLEE (a), ZACVTVS LVSITANVS (b), WALDSCHMIDIVS (c), LAELIVS A FONTE (d), RIEDLINVS (e) et MAGNENVS (f) obseruarunt, scriptisque suis inserta posteritati legenda atque obseruanda reliquerunt. Multos frequenti coitu, uisus imbecillitatem, suffusionem atque omnimodam coecitatem contraxisse, MOEBIVS (g), PANAROLVS (h), PAVLLINI (i) et FRANCVS (k) propositis historiis demonstrant. Iuuenis familiaritate frequentique sibi consuetudine iuncti SINIBALDVS (l) meminit, qui, uix superato uigesimo quinto anno, uniuerso fere capite, ob libidinis excessum, canitiem contraxerat. Ex intempestiua uenere, iuuenem pristino priuatum uigore, in summam uirium debilitatem toto uitae tempore cum unius lateris sudore perseuerantem incidisse, HANNEMANNVS (m) indicauit. Febris acutae, cum uirium defectu, uentriculi subuersione, animi deliquio, immoderata siti, delirio, peruigilio, aliisque symptomatibus sociatae, qua, ex crebriore concubitu, sponsus prima nocte affectus fuit, descriptio apud BARTHOLINVM (n) occurrit. Tantam ac tam periculosam sanguinis per uomitum aluumque profusionem in laterario, ex feruidiore coitu PANAROLVS (o) animaduertit, ut, sanguine ad duodecim libras ciecto, praesenteque grauium symptomatum concursu, pulsu nempe debili, uirium prostratione, facie Hippocratica, sudore frigido, de eius uita omnino actum uideretur. De mictu cruento, de penis erosione, testiculorum tumore, lue uenerea,

(y) Encyclop. med. l. 2. c. 6. p. 347. (z) Prax. tom. I. c. 11. p. 471. (a) l. 2. caf. 17. p. 106. (b) Op. Tom. 3. fol. 10. (c) M. N. C. Dec. I. A. 3. obs. 233. p. 421. (d) Consultat. med. 95. p. 126. (e) Lin. med. An. 1697. mens. Iul. obs. 1. p. 427. (f) de Tabaco, exerc. 6. p. 121. (g) Physiol. c. 20. p. 497. (h) Obseru. med. Pentecost. 2. obs. 6. p. 36. (i) obs. med. physic. Part. I. obs. 64. p. 77. (k) Not. ad Zachiae qu. med. leg. l. 7. tit. 3. qu. 2. §. 28. (l) Geneanthrop. l. 9. tr. 2. c. 6. p. 756. (m) M. N. C. Dec. III. Ao. 5. et 6. obs. 202. p. 461. (n) Cent. 6. hist. 94. p. 366. (o) l. c. Pentec. 6. obs. 11. p. 366.

rea, arthritide, podagra, aliisque huiusmodi morbis, qui frequentes frequentis ueneris effectus sunt, uti innumerae medicorum historiae confirmant, nihil plane dicam, hoc unicum saltem ultimo huius capitis loco adhuc monebo, quod uenus, pessima sit musarum et bonarum artium nouerca, atque infensissima ingeniorum pestis, quae saepe cum morte temporali aeternam derepente adducit. Referti sunt libri medici illorum exemplis, qui in coitus actu exspirarunt. Ita Cornelium Gallum, Titium Aeterium, Beltradum, cognomine Ferrerium, Viturium senatorii ordinis, Theodebartum, Clotarii, Francorum Regis filium natu maiorem, Speusippum, Beckherum, Ammannum, ut plures alios silentio transeam, in coniugum meretricumque gremio thalamoque tumulum sibi parasse, PLINIVS (p), VALERIVS MAXIMVS (q), MARCELLVS DONATVS (r), ALEXANDER BENEDICTVS (s), CASP. A REIES, (t) STALPART VAN DER WIEL, (u) *Acta medicorum Vratislauiensia* (x) et PLATERVS (y) confirmant.

XIIX. Nullum est dubium, quod Hippocratis temporibus, iam tales casus extiterint; unde nec mirandum, quod idem coitum comitiali morbo similem iudicauerit, quia optimos surripiendo succos, neruosque debilitando, mentem, quae sacra est, percellit. Post gaudia ueneris, scribit GLISSONIVS, (z) moestitia sequitur comes; nam exiguum seminis, quod sanguine nobilius est, dispendium, plus damni infert spiritibus, quam si uigesies sanguinis, sublatum fuerit. Quae deprompta uidentur ex AVICENNA (a) ita disserente: si quid seminis plus, quam natura toleret, coitu profluat, obest magis, quam si quadragies tantundem sanguinis emanauit. Quo certiora haec et manifestiora, eo minorem, imo nullum plane applausum ac consensum hic inuenit eorum assertio, qui ad luxuriantem testiculorum atque arteriarum spermaticarum numerum prouocantes, Deum et naturam nihil frustra agere, perhibent. Et olim repertos fuisse, et adhuc hodie

E repe-

(p) Hist. Nat. lib. 7. c. 53. (q) Lib. 9. cap. 12. no. 8. (r) histo . mirab. l. 4. c. 17. p. 394. (s) de remed. l. 24. c. 22. fol. 452. (t) Elys. iuc. quaest. campo, qu. 44. §. 24. p. 533. (u) Obs. rar. Cent. poster. hist. 6. schol. p. 58. (x) de Ao. 1702. p. 25. (y) obs. l. 1. p. 183. (z) Anat. hepatis cap. 45. (a) Lib. de Animal.

reperiri uiros, qui tribus quatuorque instructi sunt testiculis, pluribus iam dudum euictum testimoniis inter omnes constat. De Agathocle, Siciliae rege, qui ob tertium, quo gaudebat, testiculum, τριόρχης appellabatur, plura notatu lectuque digna RHODIGINVS (b) memoriae prodidit. Bergomi familia Coleonum illustris hoc peculiare, RHODIGINO et (c) SCHENCKIO (d) testibus, habuisse fertur, ut multi ex hac gente, tres testiculos, eosque aequales in uno scroto gesserint. Familiam pariter, cuius masculi omnes tribus testiculis praediti fuerunt, Nordlingae LENTILIVS (e) nouit. His iam in aprico positis, libidinis libidinosorumque hominum defensores ulterius progrediuntur, quibus, inquit LANGIVS (f), plures, quam duos testiculos concessit natura, ordinarie laborant copia seminis immoderata, hincque uix coitu multiplici exhauriuntur. Subscribit citatae sententiae LEAL LEALIS (g), huiusmodi uiros, quibus tertium coleum, naturae munificentia adiecit, in ueneris castris strenuissimos et firmissimos pronuncians. Triorchides, in ueneris campo esse heroes, AMMANNI (h) est effatum. His, ut maius addant pondus, a MONTVO (i) monachus tribus instructus testiculis, indomitae laudem libidinis obtinens, a FORESTO (k) iuuenis Antuerpianus, ex eadem salacissimus caussa, a BLASIO (l) uir triginta annorum, qui in latere dextro geminum habens testiculum, taurino et constanti fere in uenerem ferebatur impetu, atque ab aliis alia adhuc exempla afferuntur. At enim uero, siue morbis, uti uult RIOLANVS (m), siue lusibus naturae, quae plurimorum est sententia, luxuriantem testiculorum atque arteriarum spermaticarum numerum adiungam, nihil, omnibus, quae sana ratio cum experientia dictitat, probe expensis, inuenio, quod iisdem, si monita antecedentibus data respiciamus, certum firmumque uaga et promiscua uenere utendi, libidinemque pro lubitu exercendi, priuilegium concedat. Nec cre-

(b) lib. 24. cap. 4. fol. 916. (c) l. c. fol. 612. (d) historia monstrorum, p. 43. (e) M. N. C. Dec. 3. A. 3. App. p. 83. (f) Oper. med. Part. 13. Physiol. thes. 36. fol. 211. (g) Exercitat. epistol. de Part. semen confic. p. 11. (h) Iren. p. 146. (i) Anasceu. tom. 4. c. 37. p. 512. (k) Obs. l. 27. hist. 15. schol. fol. 604. (l) Obs. med. Part. 4. hist. 20. p. 60. (m) Enchirid. Anat. lib. 2. c. 35. p. 177.

credas, te in tanto dignitatis ac poteſtatis faſtigio poſitum eſſe, ut tibi plus, quam aliis in hac re liceat, leges enim a Deo latae non ad uulgum ſaltem, ſed ad omnes peraeque homines ſpectant; Vnde, quo plus tibi, ordinis ratione, licet, eo minus, retrahente moderatione, libeat. Negligitur uero a plurimis hoc praeceptum, dum, quod licet, nempe illaeſae ſuffragio mentis, ingratum eſt, quod non licet, acrius urit. Huius rei clarum documentum praebent allegata iam ueneris mancipia, quae mala, cui perpetuo addicta fuerunt, conſuetudine, maximo caſtitatis aliarumque uirtutum odio occupati tenentur. Quo minus uero in eundem cum aliis incidamus errorem, tum corporis humani, praeſertim partium genitalium, examen, tum ipſa experientia, praeter leges diuinas, impedit. Nam, ſi etiam plures adhuc, quam tres quatuorue teſticuli arteriaeque ſpermaticae tibi ſint, nunquam uberior liquoris genitalis fiet ſecretio, niſi uberiorem ſuccum nutritium, ingurgitatis copioſis et bene ac cito alentibus cibis et potulentis, corpori prius communices, ac deinceps frequentius irritando partes genitales, largiorem maſſae genitalis ſeparationem atque affluxum procures. Antiquiſſimum hoc eſt ſcitum, uti Rabbi Iochanan, teſte FABRICIO, (n) indicat, ſcribens: in homine exiguum aliquod membrum eſſe, quod eſuriat, ſi ſatietur, contra ſaturum ſit, ſi homo illud faciat eſurire. Certum quippe eſt, quod coitus uoluptas frequenti exercitio non extinguatur, ſed intendatur. Fuge modo lautum largumque uictum, ac cum ſexu elegantiore conſuetudinem, et corpus conſtanti labore ieiuniiſque fatiga, nullo ſane, ſi etiam ſex tibi teſticuli eſſent, ueneris deſiderio incenſus flagrabis. Idem mecum ſentit, eandemque ſententiam aliis adhuc rationibus propugnat VENETTE, (o) *ceux*, ſcribens, *qui on trois ou qvattre teſticules, ſont bien plus communs, qve ceux, qvi n' en ont, qv' un; et nos biſtoire de medecine remarqvent, qv' il n'y a guere de Royaumes, qvi ne fourniſſent des familles, ou il n'y ait des bommes, a trois teſticules, mais ceux cy n' ont pas l' avantage des premieres, puisqv' au lien d' eſtre*

 fertiles

(n) Codice, Pſeudepigrapho p. 1000. (o) Tablau de l' Amour coniugal, Par. 1. ch. 1. art. 2. p. m. 8.

fertiles par la multitude de leurs parties, ils en deviennent impuiſſants, la vertu prolifiqve eſtant duviſée en trop de parties, pour avoir de la force. Nullum denique certius criminis hic immerito teſticulorum numero adſcripti argumentum ac patrocinium, quam illorum experientia ſubminiſtrat, qui tribus quatuorue inſtructi teſticulis, magis odio, quam deſiderio rem uenereum proſecuti fuerunt. Notatu digniſſima ſunt, quae ex MERCKLINI teſtimonio, in Miſcellaneis Naturae Curioſorum, (p) de iuuene relata leguntur, qui, tribus inſtructus teſticulis, in flore aetatis conſtitutus, bonoque corporis habitu praeditus, et quoad reliqua bene ualens, ac ſatis robuſtus, tantus in re uenerea hoſpes fuit, ut per totum uitae ſuae decurſum membri illius, quo uiri ſumus, erectionem non perceperit, nec ullum unquam uenerei amplexus ſtimulum expertus fuerit, adeo, ut, cum foeminae quaedam ipſi abblandientes fuerint, ad earum praeſentiam pallore ſuffuſus exhorruerit. En iuuenem, cuius caſtitati tres haud officiebant teſticuli! En egregia animi uirtutes amantis indicia!

XIX. Gordium iam nodum extricandum proponis, ex me quaerens, quid maritus robuſtus, ad uenerem a natura pronus, agere debeat, ſi coniux in puerperio ſit conſtituta, infantem ſuis admouendo mammis ipſa alat? ſi debilis et uariis perpetuo morbis affecta ſit? ſi contagioſa laboret infirmitate? Siſtis nobis praeterea e IONSTONO (q) Philippum, Landgrafium Haſſiae, heroem inexhauſti ad uenereos uſus ſucci, non una contentum coniuge, ſed alteram ſimul ducente. Polygamiam igitur ex his fundamentis conceſſam, ac concedendam eſſe, putas. Verum, non exemplis, ſed legibus iudicandum. Auſculta, quae PAVLVS (r) hic praecipit, *διὰ τὰς πορνείας*, ait idem, *ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω, καὶ ἑκάστη τὸν ἴδιον ἄνδρα ἐχέτω.* Et alio idem loco, (s) ut clericus, et hoc modo alii omnes, unicam ducant coniugem, ſequentibus iniungit: *δεῖ τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα.* Quod autem Philippi exemplum attinet, plures circumſtantiae occurrunt, nobis plane ignotae, ita, ut quid hic dicere debeamus, non

(p) Dec. 3. Ao. 7. et 8. obſ. 211. p. 358. (q) Thaumatographia Claſſ. 10. cap. 5. art. 3. p. m. 460. (r) Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 7. u. 2. (s) Epiſt. 1. ad Timotheum c. 3. u. 2. et epiſt. ad Titum c. 1. u. 6.

non inueniamus. Sin uero, uti nonnulli perhibent, legitimis ex causis primum Philippi matrimonium dissolutum fuit, alterum merito iusto titulo contrahi potuit. In reliquarum examine difficultatum, nullam vel non tantam, quantam tibi concipis, difficultatem inuenio; si enim morbo coniux affligitur, prudentem peritumque accersas medicum, qui illum removeat; si morbus, actis iam altius radicibus, perfectam medelam non admittat, aequo perferas animo, quod mutari nequit, perpendens, quod calamitates, quibus in hoc mundo premimur, exiguum durent tempus, cum aeternae tandem felicitatis praemio permutaturae, λογίζομαι, PAVLI (t) est solatium, ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς. Animus denique per illud temporis spatium, quo durant puerperii incommoda, ad seria applicatus, atque a uoluptatibus auocatus, eo iucundiorem tibi deinceps cum coniuge tua reddet consuetudinem, quo diutius eadem destitutus, et mentis et corporis uiribus optime prospexisti. Perditam esse, quam coniux antea obtinuerit, pulchritudinem, doles; eandem admodum morosam esse, aliosque malos, tibi omnino inimicos mores habere, quereris. Sed, prout in matrimonio contrahendo, non corporis, sed animi dotes respiciendae, ita probe prius examinandum ac deliberandum, quod semel hic statuendum; si enim, tibi cum THOMASIO (u) consulo, morum diuersitatem nimiam aut repugnantiam deprehendas, melius erit et prudentius, arrhas perdere, et alia damna recedendo subire, quam ex intempestiuo pudore poenam infelicissimi coniugii sibi arcessere, et ita imprudentiam geminare. Non igitur formae incitamentum, quo non aliud fragilius ullum, sed uirtutes te alliciant, quis enim eam ferat, cuius praeter formam nihil unquam bonus laudauit? Rara est concordia formae ac pudicitiae; foedera, canit OVIDIVS (x) seruasset, si non formosa fuisset. Eodem respexit Bion, qui interrogatus, essetne ducenda uxor, ἐὰν μὲν γήμῃς αἰσχρὰν, ἕξεις ποινὴν, ἐὰν δὲ καλὴν, ἕξεις κοινὴν, si deformem, respondit, duxeris, habebis poenam, si formosam, habebis communem. Sed omnes peraeque foeminae

 eadem

(t) epist. ad Rom. c. 8. u. 18. (u) Prudentia Consulat. cap. 7. §. 20. (x) lib. 2. Fast. u. 161.

eadem aeque uolunt ſtudentque, et in turpi corpore, maior ſaepe mentis turpitudo; noui ingenium mulierum, Terentii eſt ſententia, nolunt, ubi uelis, ubi nolis, cupiunt ultro. Aequalitatem morum, aetatis, conſtitutionis, roboris, ac reliquarum conditionum, in coniugibus deſidero, haec, ſi adſint, non habebis, de quo conqueraris.

XX. Idem uero eſt, ex quo neglecto, tot in matrimonio incommoda, tot calamitates, tot querelae, tot denique peccata propullulant. Si uis uxorem ducere, duc parem; ſi uis nubere, nube pari. Quoties uero ſenes decrepiti foeminas iuniores et uegetas matrimonii iure ſibi iungunt? Quoties uetulae rugoſae et macie confectae iuuenibus nubunt, robuſtis et ſucci plenis? Quoties uiri ad coniugium plane inidonei in matrimonium uirgines accipiunt uoluptuoſas, quae deinceps, uel diuortium quaerunt, uel adulterae euadunt. Praeſertim parentes illi maxime culpandi atque accuſandi ſunt, qui filios filiaſque inuitas atque omni ui precibuſque reluctantes, multis perſuaſionibus ad huiuſmodi inaequalia coniugia compellunt. Qualis enim concordia, qualis tranquillitas et proſperitas in eo matrimonio, quod mero animorum diſſenſu odioque contrahitur, expectanda? Nec putes, eadem omnia temporis progreſſu, frequentiore eaque amica conſuetudine emendari, dicendo: *wann ſi nur erſt beyſammen ſeyn, es wird ſich hernacher alles geben.* Vtique, ſatis prompte omnia ſuccedunt, ſed non ex ordine atque inſtituto Dei, ſed Aſmodi, qui quamuis aucupans occaſionem diſſidia, rixas, contentiones, inter coniuges iſtiuſmodi perpetuo mouet, ac uarias peccatorum illecebras ſuggerit, et ipſa denique ſubſidia ſubminiſtrat. E re ſane foret, ſi talia coniugia, tanquam inepta ac pernicioſa non permitterentur, quia a genuino ac primario matrimonii fine omnino aliena ſunt, & peſſimis facinoribus, adulteriis in ſpecie, anſam dant. Minime autem hinc quis arbitretur, talia adulteria in tali inaequali coniugio commiſſa, leuioris eſſe momenti, atque ipſius naturae beneficio excuſari. Quid autem regeris, agere debet fœmina, debilis, ſenis ac ſtrigoſi uitio mariti, ſterilis? ſterilitas, morbus eſt, eaque nonniſi ſano et robuſto admiſſo uiro, hic curari poteſt. Morbus omnino, ſterilitas exiſtit, ſed ſterilitatis cauſa non in foemina, ſed marito haeret; ſi itaque ſterilitati hic uis

ſuccur-

ſuccurrere, ſuccurre marito, nouos illi ſuccos, nouaſque uires reddens. Si hoc non potes praeſtare, abſtrahas a medela, foeminae praeſtanda, licet etiam bonus exinde effectus, ſobolis nempe procreatio, emergat. Nam, uti furem non excuſat, ſi bona aliis ablata, in pauperum uſus erogat, ita multo minus patrocinium tibi promittere potes, ſi introducendo mentis morbos, ſterilitatem, corporis malum, tollas.

XXI. Turpia haec ſunt ac deteſtanda; turpe pariter eſt, non famem aut ſitim, neque frigus, neque laſſitudinem operari, ſed ea omnia luxu antecapere; turpius adhuc, adhibita cura, hauſtis affatim potulentis, ebrietatem, corporis infirmitatibus medendi ergo, inducere. Quis enim ignorat, cibi condimentum famem, potionis ſitim eſſe? Quem latet, non ante edendum ac bibendum eſſe, quam fames ſitisque imperet? Cui abſconditum atque occultum, ebrietate, bonam corporis, omniumque uiſcerum, uniuerſi ſyſtematis neruoſi, totiuſque ſanguinis conſtitutionem peruerti, mentis actiones laedi, deſtrui, atque innumeras corporis infirmitates adduci? Quouis nihiloſecius tempore, licet haec omnium prudentum ſuffragiis certa ſint, fuerunt, imò noſtris adhuc temporibus plures reperiuntur, qui ebrietatem, abominandum uitium, corpori mentique inimicum, tanquam remedium, ad multorum morborum curam utile ac neceſſarium, commendant, ac, quod uix fide dignum, medici Chriſtiani, a Chriſti doctrina in hac re alieniſſimi, gentilium medicorum et philoſophorum ueſtigia prementes, huiusmodi abſonis dogmatibus haud delendam ignominiam ſibi conciliarunt. Nec defuerunt, qui totos in ebrietatis laudem commentarios concinnarunt, quale quid fecit SALINGRE, (y) qui in peculiari libro, ebrietatem, tanquam uniuerſale omnis morbi, omnis triſtitiae, omniumque affectuum praeſidium ac remedium, ad coelum uſque laudibus extulit, multaque falſa teſtimonia Hippocrati aliiſque auctoribus afficta, in ſuae ſententiae patrocinium adiecit. Inique prorſus dictus SALINGRE, (z) Hippocratem, tanquam ebrietatis propugnatorem, allegat, nam in omnibus Hippocratis ſcriptis

(y) edidit librum de laude ebrietatis, gallice 1714. ſub tit. l'Eloge de l'yvreſſe. (z) alleg. tr. cap. 4. p. 22.

ptis ſumma diligentia perquiſitis, nullum inueni locum, quo Cous noſter, vel praeſeruandi, uel curandi ſcopo, ebrietatem laudaret. Ab Hippocrate nihilominus ebrietatem quouis contrahendam menſe, tanquam ſubſidium ſanitati conſervandae utile, commendari, Dominus Salingre indicat, Odam Furerianis (a) annotatam afferens, ubi omnes uerſus ſequentem habent finem. *J' en atteſte Hypocrate, qui dit qu' il faut a chaque mois du moins s' enyvrer une fois.* Verum, Hippocratis ſcripta contrarium docent, ac ſobrietatis et temperantiae ſtudium inculcant. Aliter contra ſeſe res habet cum Auicenna, qui teſte RHODIGINO, (b) ebrietatem, ſtatis temporibus, ſanitati conducere, affirmat. Aliquando, ſcribit SENECA, (c) conuictus et liberior potio uigorem dabunt, et uſque ad ebrietatem ueniendum, non ut mergat nos, ſed ut deprimat; eluit enim curas, et ab animo mouet, ita triſtitiae medetur. Antiquiſſimus Medicus Graecus, Mneſitheus, uti habent ATHENAEVS (d) et IVLIVS POLLVX, (e) uomitum, quouis menſe, ebrietatis ſubſidio promotum, utilem iudicabat, ſubiungendo: non corpus ſaltem hac ratione expurgari, ſed animum quoque recreari. Hunc ſequitur LANGIVS, (f) hanc methodi per ebrietatem et ſuccedentem uomitum curandi rationem reddens: quod ſtomachus humorum corporis ſaburram non commodius, quam repletus exonerare queat. Hanc ſententiam etiam nonnulli ex philoſophis ac theologis, LAYMANNVS (g) nempe, CAIETANVS, (h) LESSVS, (i) BVSENBAVM (k) amplectuntur, aſſerentes, non adeo abſurdum eſſe, ad breue tempus uſu rationis deſtitui, ut recuperata ſanitate, munera rationis felicius praeſtentur, et morbo leuiori breuiorique grauior et diuturnior abigatur. Citantur hunc in finem exempla, quae BVDEVINVS, (l) BARCLAIVS, (m) IOSEPHVS HALL, (n) PECHLINVS,

(a) p. 205. (b) Lect. antiqu. lib. 28. cap. 32. (c) lib. de tranquill. animi cap. 15. (d) lib. 2. Dipnoſoph. (e) l. 6. c. 18. (f) l. 1. ep. 30. (g) Theol. mor. l. 3. Sect. 4. §. 5. (h) qu. 150. a 2. (i) de Iure et Inſtit. l. 4. c. 3. (k) Med. theol. mor. l. 5. c. 3. art. u. (l) Ventilabro med. quaeſt. an liceat medico, aegrotum perſuadere, ut ſe inebriet curandi morbi cauſa. (m) Argenide, lib. 3. edit. Elſeuiriana in 12mo p. 272. et 273. (n) Meditat. ſubit. 135. p. 183.

NVS, (o) annotarunt. Artifici in ſua arte eſſe credendum, urgetur; medicis, qui habeant ius uitae ac necis, morem eſſe gerendum, SALINGRE (p) cum heluonum turba clamat. Quae omnia, ſi coniunctim penſitemus, omneſque circumſtantias accurate examinemus, nihil niſi fucum meraque figmenta, ac peruerſas hiſtoriarum explicationes deprehendimus. Nam, minime, quid hic illeue medicus ſuaſerit, quid hi illiue egerint, ſed an recte et prudenter ſuaſerit, an ex praeſcripto ſacri codicis et huic ſubiectae rationis egerint, attrendendum. Homini quippe limitata iuris in rationem competentis conditio ſeuere iniungit, ut eandem quouis modo conſeruet, defendat, emendet, nequaquam corrumpat, deſtruat. Quid uero magis rationi inimicum, quid magis illius uſum auffert, quam ebrietas? ebrietas, inquam, uoluntaria inſania, uel, uti loquitur PYTHAGORAS, (q) *μανίας μελέτη*, inſaniae meditatio. Etenim, non eſt animus in ſua poteſtate, ebrietate deuinctus; nec audit, quo eat, animam potulentorum copia obrutam habens, *ἐκ ἐπαΐων*, HERACLITI (r) ſunt uerba, *ὅκῃ βαίνει, ὑγρὴν τὴν ψυχὴν ἔχων*. Certe uinolentiam omnia uitia ſequuntur, mergitque in pocula mentem. Ebrii hinc fuſi ſine mente, ac ſine ullo ſenſu iacent, multaque patrant, quibus ſobrii erubeſcunt. Hinc pallor, ait PLINIVS, (s) et genae pendulae, oculorum ulcera, tremulae manus, effundentes plena uaſa, et quae ſit poena praeſens, furiales ſomni, et inquies nocturna, praemiumque ſummum ebrietatis, libido portentoſa, ac iucundum nefas; poſtera die ex ore halitus crudi, ac fere rerum omnium obliuio, morſque memoriae. Mortem ipſam affert crapula, mortem, inquam, animae ac corporis; audi SENECAM (t): Alexandrum tot itinera, tot praelia, tot hiemes, per quas, uicta temporum locorumque difficultate, tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt, et ille Herculaneus et fatalis ſcyphus condidit. Lacedaemonii ebrietatis turpitudine atque abominandis illius effectibus commoti, filiis ſeruos temulentos, quo magis hoc uitium fugerent, oſtendebant. Idem eſt Anacharſis conſilium, qui interrogatus, qua ratione quis uinolentiam ſibi exoſam redderet, *εἰ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοι τὰς τῶν μεθυόν-*

(o) obſeruat. phyſ. med. l. 1. hiſt. 63. p. 153. (p) lib. cit. cap. 3. p. 19. (q) apud Stobaeum ſerm. 16. (r) apud Stobaeum ſ. 3. (s) Hiſt. Nat. l. 14. c. 22. p. 250. (t) Epiſt. 83.

μεθυόντων ἀσχημοσύνας· οὐδὲν γὰρ ὁμοιότερον μαινομένῳ, ἢ ὁ μεθύων, si semper, respondit, indecoros ebriorum mores prae oculis habeat, nihil enim similius insano, quam ebrius.

XXII. Quicquid igitur alii cum LESSIO (u) excipiant, sistendo, amissae restaurationem ualetudinis, asserendoque: excessum hic non reperiri respectu talis subiecti, sed in talem finem, ac proinde, cum excessus in potu, non adsit uoluptatis gratia, sed sanitatis, nec formale ebrietatis adesse, sed materiale. Enim uero, considerent, quaeso, ebrietatis in allegato casu fautores, quod ad constitutionem actionis moraliter bonae, bonus haudquaquam sufficiat finis, sed mediorum insimul honestorum, fini obtinendo sufficientium usus requiratur. Licet itaque sanitas praestantissimum inter terrena sit bonum, licet omnibus eo annitendum uiribus, ut infirmitates corpus affligentes profligentur, et prospera recuperetur ualetudo, ea tamen non, nisi modo mediisque licitis perficienda, alias et scortari, furari, et quodcunque demum sceleris admittere fas esset, dummodo illa nostris commodis atque emolumentis seruirent. Ebrietatis porro formalitas non in uoluptate, sed in largiore potus ingurgitatione eamque comitantibus incommodis consistit. Deinde, et hoc obseruandum est, quod potu, ad implenda naturae desideria, atque in uitam, non uoluptatem, utendum sit, ac, quod uoluptas uictus in desiderio, non in satietate consistat. En Darium! Hic in fuga, quum aquam turbidam et cadaueribus inquinatam bibisset, negauit, unquam se bibisse iucundius; nunquam uidelicet sitiens biberat. Nec dispar est ratio, si euitandae mortis, aut alius magni incommodi causa, ebrietas contrahenda occurrit; cum enim bona animi tantae sint dignitatis, ut non tantum bonis solius corporis, sed et iis, quae animi & corporis simul sunt, quale est uita, praeferri debeant, uita potius, quam uirtus negligenda; cum uita, inquit LESSIVS, (x) sibi non satis constans, non sit ex bonis supremis, & semel necessario deserenda, non tenemur eam, nisi mediis ordinariis, secundum proportionem nostrae conditionis, fouere et prorogare. His addendum, quod ebrietate, qua mortem euitare gestimus, mortem sibi plures accersant; licet etiam non illico obeant, eo tamen ipso ab αὐτοχειρίας crimine

(u) lib. 4. c. 3. (x) de Iustit. et iure l. 4. c. 3. d. 3. p. 744.

ne non liberari possunt, dum ebrietate bonam corporis dispositionem laedendo, uitae abbreuient dies. Nulla igitur uis, nulla comminatio, nulla obtestatio te ad ebrietatem perducat. Princeps uero est, Rex, dicis, hoc a me desiderat; non considera, quis desideret, sed quid desideret; peccatum est, flagitium est, quod tibi patrandum iniungitur, auersare, fuge idem, tanquam animae pestem, et eandem, quam PETRVS (y) Synedrii Hierosolymitani assessoribus dabat, da responsionem: πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον, ἢ ἀνθρώποις. Imitare Wellerum a Mollersdorff, qui ad uberiorem uini ingurgitationem a Georgio Duce Saxoniae sollicitatus parum bibit, seuere pronuncians: nec tres principes sibimet inuicem impositos hoc a se impetraturos, quia Dei obstet praeceptum. Si eo necessitatis adigeremur, AVGVSTINI (z) est regula, ut diceretur: aut bibas, aut moriaris: satius esset, carnem tuam mori, quam ebrietate, animam occidi.

XXIII. Detestando itaque abusu, ea, quae nobis malorum remedia uniuersi conditor dedit, in sanitatis ac uitae conuertimus uenena. Vinum, potulentorum sane utilissimum, medicamentorum suauissimum et praesentissimum, lac senum, malorum antidotum existit; sed, quis nescit, uino largius hausto formam perire, uino corrumpi aetatem, ardescere uino uitium. Sumendum dehinc parua dosi, eaque corporis constitutioni accommodata; nam, uti prudenter de uini usu ATHENAEVS (a) edisserit: τοῖς μὲν ὀρθῶς χρωμένοις ἀγαθὸν μέγιστον, τοῖς δὲ ἀτάκτως, τοὔμπαλιν, uinum scilicet recte utentibus maximum bonum est, intemperanter maximum malum. Nulla igitur ebrietas, quocunque inducatur potulento, corpori prodest, aut prodesse potest; imo, quo potulenta, crapulae auctores, generosiora, eo grauiora hinc oriuntur mala. Non eam quidem foueo sententiam, quod omnibus eadem potulenta, eademque potulentorum copia conueniat; aliis uinum prodest, obest aliis; his cereuisia, illis aqua conducit; parcior aliis, aliis uberior potus copia necessaria est. Vinum, non potulenti, sed medicamenti loco, bibatur, subiectis seri abundantia laborantibus maxime proficuum, quod flaccidiores neruos stimulando, et languentem motum excitando, maius solidis partibus robur, et limpha abundante, per renes, poros cutis, aliasque uias, expurgata,

(y) Actis Apostol. c. 5. u. 29. (z) Sermone 232. de temp. (a) Dipnosophist. l. 2

rem ſanguini conſtitutionem conciliat. Simili plane ratione ſiccioribus, potus aquoſus, frequenter parciori doſi hauſtus, rigidiores et aridiores neruos relaxando et nutriendo, ſaliaque acria excedentia diluendo, temperando, haud leue afferet emolumentum. Illud igitur, quod hic repudiamus ac damnamus, concernit uberiorem cuiuſcunque potus, cereuiſiae praeſertim et uini ingurgitationem, qua uentriculus totumque corpus adeo obruitur, ut mentis corporiſque functiones maxime laedantur. Perniciem hinc et detrimenta, quae ex ebrietate in mentem et corpus redundant, certa omnino, incerta uero, imo nulla, quae a turpiſſimo hoc uitio multi expectant, emolumenta eſſe, praeter funeſtos, quos in ebriis quotidie obſeruamus, effectus, modus, quo ebrietas corpus afficit, manifeſte demonſtrat. Primam potulenta, largiori, quam decet, copia, hauſta, tragoediam in uentriculo exercent, qui exinde nimis diſtentus ac relaxatus uicina premendo uiſcera ac uaſa, difficilem reſpirationem, anxietatem, aliaque plura incommoda creat, donec tandem corporis agitatione, abdominiſque diſtenti compreſſione, eadem, quae affatim ingurgitata fuerunt, per eandem denuo regurgitant uiam. Relinquitur exinde maxima totius corporis, uentriculi praeſertim, imbecillitas, quam ſubſequens nauſea, appetitus proſtratus aliaque ſimilis naturae mala ſatis manifeſtant. Quid, languente ita uentriculi actione, boni ſperandum? deficiet chylus, deficiet ſuccus nutritius, et totum contabeſcet corpus, aut, ſi redeat pedetentim appetitus, non tamen idem uentriculus obtinebit robur, quod ad chylificationis negotium rite abſoluendum, requiritur; unde malae chylus indolis, de chyli natura participat ſanguis et omnes ex eodem in uniuerſo corpore ſecreti ſucci. Qualis uero humorum conſtitutio, talis nutritio, qualis nutritio, tale ſolidorum robur, talis ſanitas; en egregios ebrietatis fructus! en egregiam morbos curandi methodum! Haec autem, quae iam commem orauimus, mala, eo grauiorum confluxu ſymptomatum corpus affligunt, quo frequentior, quo grauior fuit ebrietas. Hoc unum cum IASONE A PRATIS, (b) aſſeuerare audeo, nullum ex omni morborum agmine, adeo truculenta ac terribilia ſymptomata obiicere, quibus non maiora importet ebrietas; nimirum, cum intra uiſcera merum efferueſcit, nullum

(b) tr. de Vteris in ramo Amſtelodami ed. l. 2. c. 3. p. 190.

nullum membrum ſuo officio probe defungitur, caput exhalationibus impetitur, cerebrum uertigine rotatur, oculorum auriumque tormenta, linguae inexplanatum murmur, ſpiritus oris teter, uentriculi ſubuerſio, cordis palpitatio, membrorum ſine ſenſu iacentium torpor, neruorum tremor, inquies nocturna, furiales ſomni, mentis exceſſus. Viſne exempla? euolue MARTINVM PANSAM, (c) THOM. BARTHOLINVM, (d) FORESTVM, (e) ZACVTVM LVSITANVM, (f) DOLAEVM, (g) apoplexiam, epilepſiam, lethargum, choleram, febres, hydropem, phtiſin, arthritidem, podagram, colicam, diarrhoeam, dyſenteriam, lienteriam, maraſmum, atque innumeros alios affectus, ex crapula, tanquam equo Troiano, prodeuntes, deprehendes.

XXIV. Exemplis uero exempla contraria opponis; affers hiſtorias aegrotorum ab hydrope, febre quartana, malo, uti dicitur, hypochondriaco, aliiſque medicorum ſcandalis, ebrietatis ſubſidio liberatorum. Si etiam hoc tibi demus, ueras eſſe, quas citas, obſeruationes; ueraene etiam ſunt, quas tibi concipis, medelae cauſae? expertus ſum, ſcribit IOSEPHVS HALL (h), Epiſcopus Exonienſis, aliquando ea ipſa, quibus morbum contrahit ſanus, media etiam fuiſſe, quibus aegrotus ſanaretur. Febris quartana, medicorum opprobrium olim, nec immerito audiit; quam tamen, mera crapula, non ſemel ſede ſua pulſam obſeruaui. Eſt, ubi daemonum unus alterius eiectioni operam elocat. Per accidens haec ita eueniſſe, atque euenire, certum eſt. Perinde ſeſe res cum aegrotis a morbo per ebrietatem liberatis habet, ac cum plethoricis frequenti haemorrhagia aliaque ſimili excretione affectis, qui accepto leuiori in pugna uulnere, emiſſaque ſanguinis abundantis parte, ab indicato profluuio immunes redduntur. Quis enim tam demens erit, ut plethorae minuendae ſcopo, allegatae ſubiectis naturae, bellum et pugnam commendet, cum tutiora huius remedia, abſtinentia ſcilicet, uenae ſectio, ſcarificatio, eccoprotica, diuretica ac diaphoretica proſtent? Quis, quia aliquando atrox et penetrantiſſimum profuit uenenum, promiſcuum illius uſum commendabit? Quot ex pugna, accepto uulnere lethali, obierunt? Quot ueneno interemti ſunt? Quot, malorum medelam in ebrietate quaerentes, mortem accelerarunt? Noui ſtudioſum, qui praeterlapſo praeſentis anni uere quartana diu afflictus febre, ex imprudentis conſilio medicaſtri, deglutito copioſo uino, in continuam incidit febrem, a qua difficillime liberatus atque in uiuis conſeruatus fuit. Eodem anni tempore foemina, eodem laborans morbo, hauſta largiore ſpiritus uini quantitate, uehementiſſimo affecta aeſtu, delirio, peruigilio, miſere demum, conuulſionibus uehementiſſime exagitata tortaque, periit. Quam abſona igitur illorum ſit ſententia, qui incommoda ex antecedentis diei ebrietate nata, noua denuo crapula curare geſtiunt, ipſe docet euentus. Notum quidem prouerbium: ſi nocturna tibi noceat potatio uini, hoc mane rebibas, et erit tibimet medicina. Verum nota pariter, quae hoc prouerbium inuexit mala. Perappoſite morio a Principe ſuo ex heſterna crapula affecto interrogatus, quid iam ad depellenda illa mala factu opus ſit, denuo merum largius huriens genio indulge, reſpondit? Cum, hoc accepto reſponſo, iterum ex morione quaereret Princeps, quid

 demum

(c) Lib. de prorog. Vita P. I. p. 95. (d) Cent. 3. hiſt. 56. (e) Lib. 9. obſ. 27. (f) Prax. l. 3. (g) Encyclopoed. med. p. 63. (h) Lib. cit, meditat. 135. p. 183.

demum, continuata hac consuetudine, tertio et sequentibus fiet diebus? morio, inquit, qualis ego sum. Et hoc sane multi, proh dolor! experti sunt, multorumque idem exemplis ob oculos poni potest. Aliud plane, et quidem melius ac tutius in tali rerum statu remedium adhibuit, adhibendumque inculcauit, Cassius, medicus ingeniosissimus, qui teste CELSO, (i) febricitanti cuidam et magna siti affecto, cum post ebrietatem eum premi coepisse cognosceret, aquam frigidam ingessit. Qua ille epota, cum uini uim miscendo fregisset, protinus febrem somno ac sudore discussit.

XXV. Plura quidem de ebrietatis emolumento, quod plures sibi firmissime conceperunt, adhuc dicenda restant, ast, cum iisdem explicandis et refutandis grande uix sufficiat uolumen, a reliquis, angustia paginarum auocatus, abstraho, residua ac praecipua horum praeiudiciorum momenta, peculiari dissertatione, de poculis sanitatis, poculis morborum et mortis, habenda, enodaturus. Paucissimis saltem adhuc perquiram, quale iudicium de illa sit ferendum opinione, quae, ad perficiendam morborum medelam, nunc iram, iam terrorem, modo gaudium, modo tristitiam, aliasque mentis perturbationes excitandas laudat. Iucunda quandoque amicorum ac prudentum piorumque uirorum consuetudine, colloquio, imo musicorum concentu instrumentorum, aut laeto nuncio, mentem in aegrotis uiscerum obstructione affectis, ac tristitia perculsis, erigendam atque exhilarandam esse, nullus nego, exemplis, quae PECHLINVS (k) et Ephemerides Germanorum (l) habent, conuictus. Enim uero, leuaturus animum, fac cogites, quam breue sit uitae nostrae spatium, atque ex eo non oportere multum discindi ad lusus et commessationes, ac nos non ad ineptias & nugas, sed ad seria, ad moderationem, modestiam, temperantiam, omneque genus uirtutis, a Deo esse conditos. In remissionibus igitur ac refectionibus animi, pietatis & reliquarum uirtutum sis memor, nec scurras, parasitos, moriones, nugatores, heluones, meretrices, ac quosuis profanos spurco et obscoeno utentes sermone, tua digneris consuetudine, bonos enim mores prauorum colloquia ac familiaritas hominum corrumpit. Si uis bonus esse, pius doctusque BONA (m) prudenter monet, fuge malorum consortium. Nihil tam damnosum bonis moribus, quam se malis committere. Nunquam mores, quos intulisti, referes. Animus tener et parum tenax recti, uitiorum impetum, tam magno comitatu uenientium ferre non potest. Facile transitur ad plures, conuictor delicatus paullatim eneruat atque emollit, unico exemplo malitiae perire potes. Trahunt in prauum sodales, trahunt socii & serui. Plena omnia periculis, plena laqueis. Continebis te aliquando inter domesticos lares, extra forum & commercium hominum; proh! quam suauis et optata fuga, omnia intus serena, omnia tranquilla, sine nube et uento. Accedit casu, qui te euocet. Sequeris. Coniungunt se alii, fit corona, uenitur ad turbam, peccatur multiplici excessu, et qui bonus exieras, pessimus regrederis. Vulnera autem animae non deprehendis, nisi iterum solitarius. Recede ergo in te ipsum, quantum potes, ne suis erroribus, mentem imbuat omnis undique ad uitia consentiens multitudo. Laetior est ani-

(i) lib. de Medicina, praefat. edit. quae in 12mo Lugd. Batau. 1665. prodiit, p. 19. (k) Obs. lib. 3. hist. 26. p. 467. et 472. (l) D. 2. A. 1. obs. 1. (m) Manuductione ad Coelum, p. 22.

animus, qui in pauciora diſtringitur. Omnibus haec dicta ſunt, ſanis peraeque et aegrotis. Aegrotis uero eo maior haec obſeruandi perficiendique cura incumbit, quo morti ſunt uiciniores, praeſertim, ſi exhauſtis iam omnibus uiribus, omnis ſanitatem recuperandi ſpes euanuerit, ne uitam temere actam temeraria atque infelici finiamus morte.

XXVI. Semper igitur, quae conditio corporum, quae ratio uitae, ex tam uili, fragili, caducoque natis et fictis principio, animo uoluamus, ac nunquam animi perturbationibus, irae imprimis, quae omnium maxime hominem dedecet, locum relinquamus. Ad hoc uero aſſerendum, me pernicioſiſſimi effectus, qui iram comitantur ac ſequuntur, adigunt, haec enim hominis naturam in truculentam mutans feram, omnem mentis aciem, omne obſcurat iudicium, ac tenebras denſiſſimas offundit, ut nec uerum, nec utile, nec decorum cernere atque agnoſcere queamus. Totum corpus, quaſi conuulſiuo exagitatum ac diſtractum motu contremiſcit, cor palpitat, oculi ardent ac prominent, dentes colliſi ſtridorem mouent, ſpuma ex ore protruſa labia conſpurcat, genae antea rubore ſuffuſae pallent, liuent, lingua titubat, nec uox diſtincta, ſed inconditus clamor ſtrepituſque auditur, et omnia, quae dicuntur, quae aguntur, a uirtutibus alieniſſima ſunt. Ob hanc uero uultus toruitatem, dictorum atrocitatem, factorum crudelitatem, non omnis modo auctoritas uiro adimitur, omnium ſibi accerſenti odia, ſed graues & periculoſi etiam morbi morſque repentina uehementiorem iram ſequuntur. Haec Petrus & Joannes fratres, Hiſpaniae Principes, teſte CASPARO a REIES, (n) experti ſunt, qui irae perciti oeſtro, una ambo die e uiuis ſurrepti fuerunt. Similia habuit fata iuuenis apud CAMERARIVM, (o) qui irae nimis indulgens, continua correptus febre, breui poſt uitam cum morte commutauit. Ex eadem cauſa, ancilla, accepta alapa, uti refert BARTHOLINVS, (p) repente obiit. Wenceslaum, Bohemorum Regem, accepto, de ſeditione Pragae exorta, nuncio, cum Pincerna ipſi diceret, ſe ante triduum hoc futurum ſciuiſſe, tanta in hunc ſaeuiiſſe ira, ut, dum adſtantes miniſtri illum abſtrahere uellent, inter amplexus eorum, apoplexia tactus, concideret, atque animam efflaret, DVBRAVIVS (q) CROMERVS (r) atque AENEAS SYLVIVS (s) hiſtoriarum monumentis inſeruerunt. Ira pariter, ex CVSPINIANI (t) teſtimonio, Innocentium Tertium Pontificem, copiis ſuis a Manfredo ſuperatis & fugatis, repentina abripuit morte. Idem Victori Piſonio, Venetorum claſſis praefecto, Neruae Imperatori, ac Valentiniano Primo eueniſſe, BLONDVS, (u) AVRELIVS VICTOR (x) et SIGONIVS (y) teſtantur. Haec probe etiam perſpexit SIRACH, (z) qui quacuis ſedulo obſeruans, pluribus edoctus obſeruationibus pronunciabat: Ζῆλος καὶ θυμὸς ἐλαττοῦσιν ἡμέρας, καὶ πρὸ καιροῦ γῆρας ἄγει μέριμνα. Summa hinc uirorum prudentum cura fuit, iram cohibere, eiuſque effectus ſupprimere, adeo, ut omnibus uiribus naturae ſuae repugnantes, et animae et corporis ſaluti optime conſuluerint. Peſſime igitur et menti et corpori conſulunt, qui animi affectibus indulgentes, iiſdem uirtutem ſanitatis conſeruationi & morborum medelae pro-

(n) Elyſ. iuc. quaeſt. camp. qu. 50. p. 624. (o) Sylloge Memorab. med. cent. 10. hiſt. 52. §. 2. p. 783. (p) Act. Med. & Philoſ. Haffn. p. 8. (q) Hiſt. Bohem. l. 2. (r) Chronic. l. 18. (s) Hiſtor. Bohem. cap. 37. p. m. 57. (t) Lib. de Caeſaribus. (u) Hiſtor. Rom. l. 10. dec. 2. (x) In Cocceii Neruae uitae epitome. (y) De Imperio Occidentali lib. 7. (z) Cap. 30. verſ. 25.

prospicientem tribuunt. Nihil certe aliud, praeconcepta illorum opinio, liberius irae iratique operum exercitium praecipiens, innuit, quando, uti Germani loquuntur, monent: *man muß den Zorn recht auslassen, so schadet er einem nicht.* Egomet potius existimarim, quod, quo uehementiora irati opera, eo uehementiora et grauiora hinc symptomata sint metuenda. Quid adhaec magis ridiculum, quam tantulum, tam imbecillum animalculum, quale homo, sic ferocire, furere, ac tantas & tam atroces tragoedias, de uilissimis rebus, etiam si diis placet, de unico uerbulo excitare? Quid magis absonum atque absurdum, quam iram, ad perficiendam morborum medelam, suadere, probare? Commendatur tamen ira a medicis; recensentur exoptati, quos ira exseruit, effectus; desideratur, ut aegroti ad iram concitentur, ac stimulentur; en VALLERIOLAE (a) testimonium! en ipsissima auctoris uerba! quartana laborantem, inquit, in uehementem iram meo consilio a suis coniectam, extemplo curatum uidimus, cum nullis antea medicamentis cessisset morbus. Eadem successus felicitate idem experimentum a Borrichio et Greulichio institutum fuisse, SCHENCKIVS (b) confirmat. Arthriticum, cui uehementior ac diuturnior dolor membra plane admotum inepta reddiderat, repente ira exagitatum libere ac sine incommodo incessisse, dictus VALLERIOLA (c) commemorat. Ludimoderatorem inconditis discipulorum moribus ad iram commotum, succedente diarrhoea, ab omni immunem euasisse incommodo, PAVLLINI (d) est obseruatio. Simile quid de aegroto podagra laborante, ex uehementi partis affectae ad lecti postes allisione ad iram commoto, et eius ope ex tempore sanato, PECHLINVS (e) tradit. Conueniunt cum his, quae HORSTIVS (f) narrat. Satis omnino notae sunt hae obseruationes; plures etiam apud alios auctores prostant; nullus uero mihi unquam persuadebit, effectus, quorum superioribus facta mentio, ab ira primario dependere, sed secundario, dum promoto, per irritatam mentem, solidorum motu, atque in fluida actione, quicquid uiscidum crassumque fuit, fortiori attritu frequentiorique circuitu meliorem acquisiuit constitutionem. Eadem rerum conuenientia, eodem iure, scuticas, enses, baculos, & nescio quae instrumenta, corpus uerberandi, irritandi, contundendi ergo, quia talia quandoque bonum in humanis corporibus effectum praestiterunt, praescribere possem. Quibus illustrandis apprime fauent ea, quae habet BOYLEVS, (g) referens, quartanam pertinacissimam, per terrorem, ex gliris praegrandis furioso insultu, esse curatam. Idem, ex improuiso bombardae explosae strepitu, ex repentina in aquam immersione, euenisse, probant Ephemerides Eruditorum. (h) Quis autem his nixus experimentis, eadem medendi methodo in simili utetur casu? Opem quaereres in certa pernicie, ac certis tutisque repudiatis subsidiis, perniciosissimum, cuius effectus anceps & lethalis, uenenum seligeres. Quando tale experimentum casu aliquando in quodam feliciter processit, centum occurrunt, quae contrarium manifeste demonstrant. Eodem plane modo idem constitutum est, cum morborum per schedulas, inscriptiones, transplantationes, medela, quae nullum alium usum habet, quam, quod neglecto opportuno medendi tempore, ex morbo leuiori grauior, ex medicabili immedicabilis reddatur. Vno uerbo: quaeris certum in incerto, illo, quod certum est, neglecto.

(a) Lib. 2. obs. 4. p. 82. (b) Lib. 6. obs. 53. T. 2. (c) Cit. loc. (d) Append. ad Ephemer. German. dec. 2. Ao. 5. obs. 92. p. 57. (e) Lib. 3. obs. 26. p. 460. et seq. (f) Lib. 3. Part. 2. obs. 8.